



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

Liber Quartus De Causis Criminalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)

LIBER QUARTUS.

INSTITUTIONUM CANONICARUM

DE

Causis Criminalibus.

Postquam in tribus præcedentibus Institutionum Canonicarum libris de personis, rebus, Ecclesiasticisque actum est Judiciis, ad causas criminales properamus, de quibus in hâc ultimâ operis nostri parte brevibus tractantes præfixum totius doctrinæ finem assequemur.

TITULUS PRIMUS.

DE

Accusationibus, Inquisitionibus & denuntiationibus.

Tribus modis contra delinquentem puniendum proceditur, 1o. Accusatione. 2o. Inquisitione. 3o. Denuntiatione. De his sphi sequentes.

§ Primus.

DE

Accusatione.

Quæres primò. Quid est Accusatio ?
 x. Est Criminis determinati à determinato homine commissi apud competentem Judicem interveniente subscriptione in ordine ad vindictam publicam facta denuntiatio. Dicitur *imo: Criminis*, quia in delictis privatis non
 R. D. Schnorrenberg. *Instit. j. Can.* Cccc accu-

accusatio, sed civilis locum habet actio, quâ non ad vindictam publicam, sed ad privatam agitur utilitatem. 2do: à determinato homine commissi; nam qui non delinquentem, sed solum crimen sine personæ nominatione factum esse novit, simpliciter quidem denuntiare, accusare autem non potest. 3tio: interveniente inscriptione. In hoc enim accusator à denuntiatore distinguitur, quod accusator in scriptis sese ad pœnam obliget talionis, hoc est; ad pœnam, quam crimen, de quo accusat, meretur, subeundam, si in probatione defecerit. 4to: ad vindictam publicam. Quia per hunc finem Judicium Criminale à Civili distinguitur, quod Criminale instituitur, ut publicæ satisfiat Justitiæ, Civile vero, ut privati, quorum Jus læsum est, suam obineant satisfactionem.

Quæres secundo: quis modus in accusatione servandus? R. Hic consistit in sequentibus. 1mo: Accusator libellum accusatorium in scriptis offerre debet, nisi levius foret delictum, aut aliud permetteret consuetudo, *Can. 1. caus. 2. q. 8.* 2do in libello accusatorio accusantis, accusati & Judicis nomen, deinde species delicti cum complicum & circumstantiarum, temporis ac loci designatione exprimenda. Demum accusator ad pœnam talionis sese subscribere debet. *Can. quisquis. 3. caus. 2. q. 8. cap. super his. 16. de accusat.* 3tio accusator per fidejussores aut pignora de accusatione ad finem Judicii prosequendâ, expensis solvendis ac restitutione damni & injuriæ in

casu succumbentiæ cavere debet, si hanc cautionem accusator prestare nequeat, cum reo in custodiâ est detinendus, usque dum delictum probaverit, vel urgentia commissi delicti demonstraverit indicia, nisi foret persona in magni dignitate constituta, quæ vadem parâ cum accusata conditionis dare potest *Can. quisquis. 3. caus. 2. q. 8.*

Quæres tertio: qui ob defectum naturalem accusare non possunt?

R. 1mo. Furiosi, amentes. 2do ob sexum fœmina. *Can. prohibentur 14. caus. 2. q. 1.* nisi in criminibus exceptis, ut læsæ Majestatis, Simonix, Sacrilegii, aut si tuam, suorumve prosequatur injuriam. 3tio ob ætatem pupillus, nisi de autoritate tutoris suam vel suorum injuriam prosequatur, vel de excepto crimine accuset.

Quæres quarto qui ob animi vitium accusare nequeunt?

R. 1mo excommunicati. *Can. nullus. 6. Can. omnes. 7. caus. 3. q. 4. cap. à nobis. 2. cap. exceptionem 12. de exception.* 2do infamis sive Juris sive facti infamiâ. *Can. si quis sunt. 17. can. quarendum. 18. caus. 2. q. 7.* nisi sint crimina excepta, ut læsæ Majestatis, hæresis, simonix, &c. *Cap. santa. 7. de Simon.* 3tio accusatus criminaliter, antequam se purgaverit, accusatori aliisque crimen gravius inferre nulli tamen par vel minus crimine de quo est accusatus, impingere potest. *Can. neganda 21. & seqq. caus. 3. q. 11. can. quod autem. 2. caus. 4. q. 1. cap. fin. de testib.*

Quæres

Quæres quinto; qui ratione status accusate prohibentur?

R. 1mo. Clericus, maximè si delictum pœnâ Sanguinis puniendum. *Can. Sacerdotes. § 1. caus. 2. q. 7. can. his, à quibus. 30. caus. 23. q. 8. cap. Sententiam. 9. ne Clerici vel Monachi.* Quamvis autem Clericus ad retarciendam suam suorumque Injuriam agere possit, si tamen causa Sanguinis fuerit, expressè protestari debet, quod non ad vindictam publicam, sed ad damni illati reparationem præcisè agere velit, alioquin securâ Sanguinis pœnâ, hoc est: mutilationis aut mortis, irregularitatem incurrit. *Cap. postulasti. 21. de homicid. cap. prelati. 2. eod. in 6. 2do Monachi accusare non possunt nisi suum Prælatum in causâ Monasterii. Cap. ex parte. 11. de Accusat. aut extraneum de licentiâ sui Prælati ob Monasterii utilitatem. Can. Monachi. 35. caus. 16. q. 1.*

Quæres sexto: qui ratione suspicionis, quod accusatio fiat calumniandi animo, accusate prohibentur?

R. 1mo. Inimicus capitalis. *Can. accusatoribus. 2. § seqq. caus. 3. q. 5. cap. repellantur. 7. cap. cum. Manconella. 10. cap. meminimus. 13. cap. cum oporteat. 19. de accusat. 2do. Cohabitatores inimici. cit. cap. repellantur. tales accusatoris amici & accusati inimici præsumuntur. Can. si inimicus. 1. dist. 93. 3tio. pauper, ob suspicionem quod potius spe lucri & præmii, quam studio utilitatis publicæ crimen deferat. Can. prohibentur. 14. caus. 2. q. 1. 4to. Paganus, Judæus, hæreticus Chri-*

stianum accusare non possunt. *Can. pagani. 25. caus. 2. q. 7. can. beatus. §. caus. 6. q. 1. cap. cum 10. de accusat. demum liberi parentes, liberti patronos, Vasalli & servi dominos accusandi non habent potestatem.*

Quæres septimo. Qui accusari nequeunt?

R. Sequentes. 1mo. Qui in terris coram quo conveniatur, Superiorem non habet, sic summus Pontifex nequidem in Concilio generali accusari, & ab illo Judicari potest. *Can. nunc autem. 7. dist. 21. si Papa. 6. dist. 40. can. nemo. 13. § seqq. caus. 9. q. 3. Extrav. unam sanctam. 1. de Majorit. & obedient. inter com. nisi deprehendatur à fide devius. Cit. can. si Papa; aut nisi seipsum alterius subjiciat Jurisdictioni. Can. nos, si 41. caus. 2. q. 7. Quod tamen de temporalium administratione intelligendum videtur, uti cit. Canonis verba innuunt, ubi sic Imperatori loquitur: *Nos si incompetenter aliquid egimus, & subditis justa legis tramitem non conservavimus, vestro ac Missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio. Sc. 2do rationis uti carentes, & dolli nondum capaces, ut infantes, puberes, aut pubertati proximi, non aliter quam dato Curatore accusari possunt. 3tio absens ita accusari nequit, ut contra eum processus formetur, ac Sententia feratur. Can. accusatori. 1. § seqq. caus. 3. q. 9. 4to accusatus de crimine & postmodum absolutus, de ipso iterum accusari non potest. Cap. de his. 6. de accusat. nisi accusator vel suorum injuriam prosequatur, vel institu-**

tam prius accusationem se ignorasse, vel priorem accusatorem prævaricatorem fuisset, & cum accusato collusisse probaverit. §10. Qui ante plures annos delictum perpetravit, accusari nequit, cum tempore 20. annorum à die commissi delicti regulariter accusatio Criminalis præscribatur, si patratum semel crimen totum jam transierit, nec continuam habeat Successionem, ut habet hæresis, apostasia, contractum contra Canones Matrimonium &c.

Quæres octavo de quibus Criminibus accusatio fieri potest?

ꝛ. Illa solum delicta accusationi subiecta sunt; ex quibus agitur vel ad pœnam capitis, aut ad pœnam corporis afflictivam, aut ad pœnam infamiae, vel etiam ad multam pecuniariam fisco inferendam: quia delicta, quæ in iudicium deducuntur, vel lædunt directè & principaliter Jus hominis privati, ita tamen ut per consequentiam etiam Reipub., cuius interest non habere cives facinorosos, repugnent utilitati, vel directè & principaliter Reipub. saluti & tranquillitati opponuntur; delicta priora privata vocantur, & pariunt actionem ad pœnam civilem, aut ipsi læso, aut Reipub., quæ quodammodo læsa est, pro actoris arbitrio applicandam. Si actor sibi pœnam applicari velit, civiliter, si Reipub., criminaliter agere dicitur. Posteriora delicta propriè appellantur crimina, suntque Iudicii publici vel criminalis objecta, alia sunt Capitalia, quæ pœnam mortis, sive naturalis per gladium, laqueum, ignem, rotam &c.

sive Civilis per condemnationem ad vitæ penes, promerentur; alia sunt non Capitalia, quæ mitiori pœnâ ut fustigationis vel pecuniariâ puniuntur. Item delicta alia sunt ordinaria, quibus pœna certa est à Jure constituta, alia extraordinaria, quibus non est certa pœna in jure dictata, sed pro Iudicis arbitrio restat infligenda.

Quæres nono: An si Crimen mixti fori; & accusatus in foro Ecclesiastico punitus vel absolutus fuerit, apud tribunal Iudicis Laici de eodem crimine denuo accusari valeat?

ꝛ. Quando à Iudice Ecclesiastico non quidem condigna, sed potius medicinalis quædam, magis ad animæ salutem quam ad vindictam publicam tendens pœna reo condemnato imposita fuit, tunc iterum apud Iudicem Sæcularem accusari & conveniri potest, secus, si semel condignam sustinuerit pœnam. *Arg. cap. fin. de Except. in 6.*

Quæres decimo: quid factâ accusatione Iudici agendum?

ꝛ. Propositâ accusatione Iudex accusatum, ut personaliter compareat, citare debet. *Cap. 1. de Iudic. in 6.* imo accusatus, si delictum atrox & indicia fuerint sufficientia, quod illud perpetraverit, per apparitores ad Iudicium ducendus & custodiæ causâ carceri est mancipandus.

Quæres undecimo: quod officium accusatoris?

ꝛ. Primo quidem crimen, de quo accusavit, probare debet. *Can. sciens cuncti. 2. caus. 2. q. 8.* & si in probatione defecerit, ad Satisfactionem tenetur

tur accusato. Non autem quælibet sufficientes sunt probationes, sed debent esse vel per facti evidentiam, vel per spontaneam & liberam rei Confessionem. *Cap. evidentiæ 9. de accusat. cap. super eo. 3. de testib. cogend.* vel per duos testes, de proprio visu & auditu deponentes. Deinde post litis contestationem, vel postquam oblato Judici libello facta inscriptio, accusator prosequi cogitur accusationem, hanc enim non intermittere non parum interest publico, sive, vera sit, ut delictum puniatur, sive falsa, ut injusti castigerentur Calumniatoris impudentia.

Quæres duodecimo: quem ex parte accusati accusatio habet effectum?

ꝛ. Accusatio pendens licet non infamet, exstimationem tamen gravat accusati, ita, ut ad novas dignitates promoveri nequeat. *Can. tantis. 3. dist. 81. cap. omnipotens. 4. de accusat.* Si Crimen grave, promotio, Collatio aut affectio novæ dignitatis non tenet, nec convalescit, quantumcunque promotus postea per Sententiam definitivam abtolvatur, aut innocens declaretur. *Arg. cap. si eo tempore. 45. de elect. in 6.*

§. Secundus.

D E

Inquisitione.

Quæres primo: quid est Inquisitio?

ꝛ. Est legitima Judicis ex officio procedentis super delicto facta investigatio.

Quæres secundo: quoruplex inquisitio?

ꝛ. Est triplex. 1mo: Generalis, quæ fit ex mero Judicis officio, dum nec personam certam, neque certo crimine expresso in genere inquirunt, an aliqua delicta in Communitate committantur, ut dum Superiores Regna, Provincias, Dioceses &c. Visitantes inquirunt, an Leges & statuta observentur, an aliqui defectus & crimina invalescant, &c.

2do. Specialis, quando Judex vel ex

mero officio, vel ad alterius querelam, aut officialis publici denuntiationem indagat, an talis persona tale crimen perpetraverit. De hac in *Cap. cum dilecti. 18. & cap. qualiter & quando. 24. de accusat. 3110.* Inquisitio Mixta, partim generalis, partim specialis, Generalis quoad personas, & particularis quoad delictum, dum de delicto in specie v.g. homicidio, furto, Sacrilegio &c. patrato constat, quia autem latet author, Judex in genere inquit, quis probabiliter aut præsumptive tale crimen commiserit. Aut est generalis quo ad delicta, & specialis quoad personam, ut si à Superiore electi Prælati confirmatio petatur, Confirmans in-

Cccc 3 qui-

quisitionem mixtam, inquirendo, an electus sit criminolus, instituat.

Quæres tertio: qualiter generalis instituenda inquisitio?

R. Ad inquisitionem generalem non est necessarium, ut infamia, indicia, denuntiatio vel accusatio præcedat, sed eam Judex ex solo officio instituere potest. *Cap. sicut olim. 25. de accusat. cap. 1. de censib. in 6.* Ratio est: quia talis inquisitio quia non contra certas personas, sed ad emendandos mores, restaurandam, ubi collapsa est, conservandam, ubi viget, disciplinam instituitur: nulli est injuriosa &c. deinde in generali inquisitione, Inquisitores ab inquisitis recipiunt juramentum, quod super his, quæ sciunt & credunt in Ecclesiâ suâ esse reformanda, tam in Capite, quam in membris, criminibus occultis exceptis, meram & plenam velint dicere veritatem.

Quæres quarto: qualiter mixta sit inquisitio?

R. In inquisitione mixta, scilicet generali de persona, & speciali de delicto. *1mo* inquirendum est in delictum, ut inquisitori prius constet de corpore delicti, quod adeo necessarium est, ut licet reus delictum sponte sit confessus, contra eum tamen Judex procedere nequeat, priusquam in locum, in quo commissum asseritur delictum, miserit, & illic, an perpetratum sit delictum inquisiverit. Si delictum occultum & difficilis probationis, aut ejusmodi sit, ut post se vestigia nulla relinquat, tunc satis est corpus delicti præsumptionibus & conjecturis probari. *2do*, postquam certum est deli-

ctum, nec probabilis suspicio vel infamia contra personam particularem emergat, specialis inquisitio contra personam determinatam fieri nequit, sed generaliter solum inquirendum, quis delictum commiserit, aut contra quem probabilis patratu criminis sive suspicio vel infamia, ut sic Reipub. per generalem inquisitionem consulatur, nulli tamen in specie injuria inferatur, si nemo publica de patratu delicto labore infamiâ.

Quæres quinto: quomodo in inquisitione generali ex parte delicti, & speciali ex parte personæ procedendum?

R. Quando non ad puniendum, sed ad emendandum, vel damnum avertendum, aut propter interesse aliorum super aliquo defectu vel personæ delicto inquiretur, ut de impedimento, ne matrimonium, cum impedimento contrahatur. *Cap. cum inhibitis. 3. de clandest. desponsat.* aut ne indignus ad Prælaturam promoveatur, aut indignus electio confirmetur. *Cap. postquam 3. cap. nihil. 44. de elect. Trident. sess. 24. de reform. cap. 1.* inquiretur, non requiritur, ut infamia vel indicia præcesserint.

Quæres sexto: qualiter ad inquisitionem specialem procedendum?

R. In inquisitione speciali quando agitur de crimine ad vindictam publicam, sive ad pœnam imponendam, sive ad amovendum ab administratione &c. Judex se solo ad inquisitionem procedere nequit. Rationem dat *S. Thom. 2. 2. q. 67. a. 3.* quia Judex contra nullum viâ specialis inquisitionis pro-

procedere potest, quando nec formalis, nec virtualis est accusator. Judicium enim ex tribus personis, Judice, Accusatore & Reo constare necesse est, cum igitur inquisitio specialis Judicium quoddam sit, accusatorem aut denuntiatorem, vel aliquid, quod ejus vices suppleat, intervenire oportet.

Quæres *septimo*: qualiter accusator suppleri potest?

1. Suppletur accusator *1mo* quando ex visitatione seu inquisitione generali crimen, à subdito commissum esse constat, cum enim jam delictum Judici sit notum, contra delinquentem sic infamatum necessario procedere debet, quamvis crimen sive bene, sive malè in Judicium sit deductum, reus juridice est diffamatus, effectus enim inquisitionis generalis est, præparare viam ad inquisitionem specialem, emergentibus ex inquisitione generali induciis vel probationibus, ex quibus vel verè vel præsumptivè apparet, quodnam, quale, & à quo delictum admissum, & illa loco diffamationis succedunt, ac tamquam causæ impulsivæ ad inquisitionem specialem sunt sufficientes.

2do. Quando de delicti infamiâ Judici constat. *Cap. cum oporteat* 19. *Cap. inquisitionis* 21. *cap. qualiter & quando* 24. *de accusat.* infamia autem non à malevolis & maledicis, sed à providis & honestis viris ortum habere debet, quia propter dicta paucorum eum infamatum reputare non debemus, cujus apud bonos & graves læsa opinio non existit. *Cir. cap. inquisitionis. §. quasivisti etiam.* & quidem sola non sufficit infamia,

sed clamorosa apud Judicem insinuatio præcedere debet, quâ scilicet non semel, sed sæpius delictum defamati aures Judicis pulsavit. *Cir. cap. inquisitionis. Cap. licet Heli. 31. de Simon.* Primum ut contra Prælatum Ecclesiæ specialis fiat inquisitio, requiritur, quod talis ac tanta sit infamia, ut sine scandalo & periculo tolerari aut dissimulari non possit. Cujus hanc dat rationem Pontifex *incit. Cap. qualiter & quando. quod quasi signum sint positi ad sagittam, & quia non possunt omnibus complacere, cum ex officio suo teneantur non solum arguere, sed etiam increpare, quin etiam interdum suspendere, nonnumquam vero ligare, frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur, & ideo sancti Patres providè statuerunt, ut accusatio Prælatorum non facile admittatur, ne concussis columnis corruat edificium: nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solum false sed etiam maligna criminationi fanua præcludatur.*

3to. Quando gravia indicia seu tales præcedunt circumstantiæ, ex quibus aliquo modo colligi potest, quis Criminis sit Author. Illa autem indicia, ut infamiæ æquivalent, quam Canones specialem inquisitionem præcedere volunt, gravia multis nota, & in publico delicto esse oportet.

4to. Quando facti adest evidentia, ita, ut Crimen sit notorium, & reus illud aliquâ tergiversatione negare non valeat; notorium enim plus est, quam infamia. *Cap. evidentia. 9. de accusat.*

5to. Si publici Officialis præcedat denun-

denuntiatio, ad specialem inquisitionem à Judice legitimè proceditur.

610. Demum dicunt communiter Criminalistæ, ob delicti atrocitatem, scandalum aut damnum publicum, leviora indicia, ut complicitis confessio, aut assertio alicujus minus fide digni sufficiunt, ut ad specialem procedatur inquisitionem. Hoc autem generaliter est observandum, quod his requisitis non existentibus, inquisitionis specialis processus sit nullus, dummodo reus contra protestatus, nec Crimen ultro confessus fuerit, si enim reus delictum ultro fateatur, propriam confessionem sub prætextu non procedentis infamiae propugnare nequit. *Cap. postquam 1. de accusat. in 6.* similiter si reus Crimen quidem non confiteatur, nec tamen etiam contra inquisitionis processum protestetur, sed per testes crimen, de quo inquiritur, legitimè probetur, ex post facto excipere amplius non potest.

Quæres octavo: An, si duo vel tres denuntient, ad inquisitionem procedi valeat?

R. Si duo vel tres ad Judicem extra visitationem veniant, & se Cajum v. g. tale crimen committentem vidisse deponant, ideo Judex Ecclesiasticus ad specialem inquisitionem procedere nequit, *Cap. inquisitionis. 21. §. tertia. de accusat.* multo minus si ex litteris sine Authoris nomine scriptis Criminalis tantum habeatur notitia, quantumvis in illis testes, qui delictum testificari veleant, notificentur.

Quæres nono: qualiter testes in judicio inquisitionis recipiendi?

R. 1mo: In causa inquisitionis testes recipiuntur lite non contestatâ *Cap. quoniam. 5. §. sunt & alii. ut lite non contest.* 2do. Quando fit inquisitio tam in Capite quàm in membris vel super statu Ecclesiæ, testes alias minus idonei recipiuntur. 3tio. Testes super infamiâ deponens eos, apud quos inquisitus infamiâ laborat, nominare debet, in genere enim deponens bonam dicti sui causam reddere non videtur, Ratio est: quia aliter sciri non potest, an illi, apud quos inquisiti est infamia, sint viles & malevoli, an vero fide digni, de quo ante omnia Judici constare debet. Quamvis non desint Canonistæ, qui probabiliter dicunt: factis esse, ut testes, nullis etiam personis expressis, dicant: rumor & infamia est per viciniam: reservatur enim alteri parti facultas probandi infamiam hanc tantum esse apud viles & malevolos, vel ab ipsis ortum habuisse, quo probatio non procedit inquisitio.

Quæres decimo: An inquisitio, ut ad interrogata respondeat, juramentum imponi valeat?

R. Si infamia præcessit, & Judex ex mero officio procedit, juramentum ab inquisito recipere potest, vel ut dicat super statu Ecclesiæ nudam & plenam veritatem, vel ut ad interrogata respondeat. In primo juramento factam Confessionem postmodum excusare non potest, bene tamen in secundo. Est decisum in *Cap. cum dilecti 18. de accusat.*

Quæres undecimo: An Judicium inquisitionis communicandum inquisito?

R. Ei,

R. Ei, contra quem inquiritur, exponenda sunt illa Capitula de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi se ipsum, & non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei (ut quid, & à quo sit dictum, appareat) publicanda, nec non exceptiones & replicationes legitimæ admittendæ, ne per suppressionem nominum, infamandi, per exceptionum vero exclusionem deponendi falsum audacia præbeatur. *Cap. qualiter & quando 24. de accusat.* Quamvis autem nullus puniendus sit, antequam convictus, vel confessus fuerit, attamen ob Criminis atrocitatem inquisitus de Crimine Simonie inquisitione pendente suspensus est. *Cap. quoties 5. de Simon.* quemadmodum & accusatus de eodem Crimine pendente accusatione est suspensus. *Cap. accusatum. 4. de Simon.*

Quæres duodecimo: qualiter contra Regulares instituenda inquisitio?

R. Postquam Pontifex in *cit. cap. qualiter & quando* modum ac formam contra Prælatos sæculares inquisitione procedendi præscripsisset, his formulis concludit: *hunc tamen ordinem circa Regulares personas non credimus us-*

quequaque servandum, quia, cum causa requirit, facilius & liberius à suis possint administrationibus amoveri. Ex his Pagn. incit. Cap. qualiter & quando q. 99. & seqq. tria deducit specialia. 1^{um}. Quod in inquisitione, quæ fit contra Regulares, ordo juris non sit usquequaque, id est: omnino seu ad unguem servandus, scilicet quoad substantialia iudici, non autem quoad veritatis probationem, illa enim nequaquam est omittenda, sicut nec justæ defensionis media sunt inquisito dene-ganda. *Secundum.* Quod Prælati Regulares ab administratione facilius quàm Sæculares removeri possint, unde leviores causæ ac probationes sufficere videntur. *3^{ium}.* Quod contra Regulares non tot, quot contra Sæculares, recipiantur exceptiones, nec in ipsis exceptionibus ordinem ad unguem servare necesse sit.

Hæc autem de Prælati, qui per electionem Canonicam instituuntur, non autem de prioribus aut minoribus intelligenda sunt Officialibus, quia tales ad libitum Abbatis sine ullâ causâ & juris ordine à suis administrationibus removentur,

§. Tertius.

DE

Denuntiatione.

Quæres primo: quid est denuntiationio?

R. Est Criminis apud iudicem sine R. D. Schnorrenberg. *Instit. 7. Can.*

in-scriptione ad emendationem, vel damnum imminens avertendum legitimè facta delatio. *Cap. super his. 16.*

Dddd de

de accusat. ab accusatione potissimum differt ex fine, accusatio namque fit ad puniendum & vindictam publicam, denuntiatio vero ad correctionem; in denuntiatione enim attenditur emendatio fratris, in accusatione punitio Criminis.

Quæres secundo: quotuplex est denuntiatio?

1. Triplex est. 1^{ma} denuntiatio Evangelica fundata in illis Christi verbis Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus es fratrem tuum, si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, quod si non audierit eos, dic Ecclesia &c.* de hac agitur *Can. si peccaverit. 19. caus. 2. q. 1. & cap. novit ille. 13. de iudiciis.* Quando præmissâ charitativâ admonitione, & emendatione non secutâ iudici Ecclesiastico, non ad vindictam, sed ad Spiritualem proximi utilitatem, ut frater emendetur & peccare cesset, delictum denuntiatur.

2^{da}. Denuntiatio Canonica, in Sacris fundata Canonibus, dum ad Superiorem peccans defertur, non solum pro correptione privatâ ac personali emendatione, sed etiam ad Ecclesiæ damnum aliudve malum avertendum.

3^{tia} Denuntiatio Civilis, à Jure Civili inventa, nec ab accusatione multum distans fit per constitutos ad id Ministros publicos, ut delicta publica, quæque in publicum vergunt detrimentum, non maneant impunita; Officiales illi Fiscales seu fisci promotores appellan-

tur, eò quod juramento adstricti commissa Crimina nomine Fisci deferant, ac vices sustineant accusatorum. His quidam *4^{am}* addunt speciem, videlicet denuntiationem regularem, quæ à personis religiosis fit ad correptionem excellus contra disciplinam regularem commissi, secundum cujuslibet ordinis regulas & communes constitutiones.

Quæres tertio: An denuntiationem Canonicam Charitativa præcedere debeat monitio?

1. Distinguendo: si est denuntiatione specialis, quæ competit subditis contra Prælatum. *Cap. si quis Episcopus. 2. cap. illa 3. cap. olim. 26. de accusat.* Superiori contra subditos. *Arg. cap. 1. de offic. custod. Patrono contra Ecclesiæ Ministros. Can. filius. 31. caus. 16. q. 2.* Laicis contra Clericos dissolutos. *Can. quapropter. 47. caus. 2. q. 7.* tunc bina vel trina monitio præcedere debet juxta regulam generalem in *Cap. qualiter & quando. 24. de accusat.* Sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic & denuntiationem Charitativa monitio, & inquisitionem clamorosa insinuatio prævenire. Ratio est: quia lex Charitatis dicitur, ut correctio fiat, cum minori quantum potest fieri, corrigendi incommodo. *Cir. cap. si quis Episcopus.* Nisi ex circumstantiis præviam admonitionem nihil appareat profuturam, vel admonitio in notabile periculum aut detrimentum denuntiantis cessura prævideatur, ut si timeatur gravis offensa denuntiati, qui alias plurimum prodesse vel obesse potest denuntianti; Lex enim

enim Charitatis neminem obligat, ut se gravis mali, ad famæ vel honori proximi parcendum, exponat periculo.

Si vero denuntiatio Canonica sit generalis, ut quando ante contractum matrimonium denuntiat matrimonii impedimentum. *Cap. cum inhibitis. 3. de clandest. desponsat. vel impedimentum Canonicum in personâ electâ, quæ Matrimonium spirituale cum Ecclesia contrahere intendit, prævia non requiritur monitio. Colligitur ex Cap. ad dissolvendum. 13. de desponsat. impuber.*

Quæres quarto: an denuntians Crimen denuntiatum probare debeat?

ꝛ. Quamvis denuntians ad pœnam talionis non teneatur, si tamen in probatione deficiat, ab officio & Beneficio est suspendendus, donec Canonicè litem purgaverit innocentiam, scilicet, quod non calumniandi animo ad crimen proponendum processerit, ut cæteri simili pœnâ perterriti ad infamiam aliorum non facile prosiliant.

Quæres quinto: an semper opponens crimen, si in probatione deficiat, sit puniendus?

ꝛ. Juxta *Cap. super his. 16. de accusat.* Si Crimen in iudicio per modam exceptionis opponitur, ut ab accusatione vel testificatione aliquis repellatur, excipiens non probans exceptionem nullâ pœnâ afficitur. Si crimen opponitur, ut à dignitate vel officio excludatur, distinguendum est: Si exceptio fiat ante Confirmationem, tunc opponens ad pœnam sese non obligat, quia Crimen probatum solum impedit promovendum, sed non dejicit jam

promotum. Si vero post Confirmationem opponit, in probatione deficiens, ad pœnam extraordinariam juxta arbitrium Judicis obligatur.

Quæres sexto: quinam Evangelicè denuntiare possunt?

ꝛ. Omnis homo, sive vir, sive mulier, sive bonus, sive malus, infamis aut criminofus, dummodo in Crimine non perseveret, quamvis se non denuntiatum jurasset, tale siquidem juramentum præjudiciosum, & de re illicitâ est. *Cap. quemadmodum. 25. 5. illud autem. de jurejur.* Cum quilibet ex præcepto charitatis expresso *Matth. 18.* & relato in *Cap. in omni. 4. de Testib.* pro salute animæ proximi omne periculum avertere obligatus existat.

Quæres septimo: quinam Canonicè denuntiare possunt?

ꝛ. Quibus cura incumbit, ne Ecclesia, Collegium vel communitas patiatur, Canonicè denuntiare possunt ac debent. Sic Clerici Episcopum, religiosi Prælatum, Parochiani Parochum, patronus Beneficii Beneficiarium, possunt & debent Canonicè denuntiare, ex quo ipsorum interest habere bonum pastorem, Prælatum, Rectorem &c. *Can. quapropter. 47. caus. 2. q. 7. can. filii. 31. caus. 16. q. 7.* in hoc enim potissimum denuntiatio Evangelica differt à canonicâ, quod hæc magis sit publica, & spectet non tam animæ denuntiati salutem, quam boni publici conservationem, quod in rectâ gubernatione, Sacramentorum administratione, & laudabili secundum Canones conversatione consistere nemo dubitare potest. Dddd 2 Quæ-

Quæres octavo: an denuntiationem infamia præcedere debeat?

R. *Negative*: sicut enim in viâ inquisitionis infamia vel indicia præcedentia requiruntur, ut vices suppleant accusatoris, sine quo nemo est condemnandus, ita in casu denuntiationis vices accusatoris sustinet denuntiator, quamvis totum probandi onus in se non suscipiat. *Cap. super his. 16. de accusat.*

Quæres nono: An subditi, qui Superiorem suum apud altiorem Judicem denuntiarunt, pendente denuntiatione imperio denuntiati parere teneantur?

R. In illis, quæ causam denuntiationis concernunt, Jurisdictio Superioris denuntiati pendente denuntiationis iudicio est suspensa, in reliquis denuntiantes sub denuntiati manent imperio & obedientiâ Prælati. Est expressum in *Cap. olim. 26. de accusat.*

Quæres decimo: An Prælato denuntiato pendente denuntiationis iudicio, statim interdicenda alienatio?

R. Si Prælatus de dilapidatione bonorum Ecclesiæ à subditis fuerit denuntiat, pendente denuntiatione ob Ecclesiæ periculum, potestas vendendi, dandi, infeudandi seu quomodocum-

que alienandi bona Ecclesiæ denuntiato penitus interdici potest. *Cap. fin. de accusat.*

Quæres undecimo: An Judex vel Prælatus denuntiantis nomen aut personam revelare teneatur?

R. *Negative*: attamen in Inquisitione, quæ ad quærelam partis denuntiantis fit, si infamia vel indicia præcesserint, danda est Copia articulorum, nominum, attestationumque testium, *Cap. olim. 26. de accusat. junct. Gloss. verb. ei copiam dari faciatis.*

Quæres duodecimo: An & qualiter denuntiat, si Crimen per modum exceptionis denuntietur, puniendus?

R. Crimen denuntiat vel objicitur per modum exceptionis, quando non ad puniendum, sed ad repellendum accusatorem ab accusatione, testem à testificatione, electum à Confirmatione &c. Crimen detegitur, & ob hanc denuntiationem Criminalis Sententia ferri non potest, etiamsi denuntiat de crimine convictus, aut idipsum confessus fuerit, nisi nova inquisitio aut processus contra denuntiantem instituat. *Cit. cap. super his. 16. de accusat.*



TITULUS SECUNDUS.

D E

*Simonia, & ne aliquid pro Spiritualibus exigatur
vel promittatur.*

Simonia nomen accepit à Simone Mago, qui dona Spiritus Sancti auro emi ac vendi posse putavit, ideòque à S. Petro audivit *Actor.*

§. pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum DEI existimasti pecuniâ possideri. Definitur: Studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale aut Spirituali annexum, quam sit Crimen illud enorme ac detestabile, indicant prædicata illa, quibus Jura extraordinario quodam Zelo id ipsum prosequuntur. Sic appellatur rabies simoniaca. *Cap. si Dominus. 3. de Simon.* Lepra Giezi. *Can. cum ordinaretur. 14. caus. 1. q. 1.* Sacrilegium. *Can. audivimus. 1. caus. 1. q. 3.* execrabile flagitium. *Can. reperiuntur. 7. caus. 1. q. 1.* Simoniaca pestis *Cap. sicut. 6. de Simon.* Simoniaca Hæresis. *Can. presbyter. 3. can. quisquis. 5. can. qui studet. 11. caus. 1. q. 1.* Omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur. *Can. fin. caus. 1. q. 7.* Demum idolatria sive idolorum servitus. *Can. citato. 16. can. cum omnis 20. caus. 1. q. 1.*

Varia sunt simoniæ species. *Imo:* Simonia mentalis, quæ non est nudum propositum, vel desiderium dandi aut recipiendi spirituale pro temporali, sed potius simonia interna, quam menta-

lis dici potest, & tunc est: quando res spiritualis in compensationem rei temporalis, vel res temporalis ex obligatione propter rem spiritualem acceptam absque ullâ externâ datur pactione, ut si Patronus beneficium propter acceptam rem temporalem conferat, item si quis serviat patrono, ut ab eo beneficium vel accipiat, vel acceptum compenset. *Secundo.* Simonia conventionalis est, vel nuda de dando spirituali pro temporali conventio, ut promissio rei spiritualis pro temporali vel conventio ab una parte completa, ut, si datum pro promissa pecunia beneficium, aut data pro beneficio promisso pecunia. *3tio.* Simonia realis, est conventio simoniaca ab utraque parte completa. *4to.* Simonia confidentialis, quæ committitur ab illis, qui alicui beneficium Ecclesiasticum, eligendo, præsentando, instituendo, confirmando, resignando &c. procurant cum certa confidentia, id est expresso vel tacito pacto, ut is, cui procuratur, elapso quodam tempore ipsi cedenti, procuranti, resignanti &c. aut ejus Cognato vel amico resignet, aut pensionem vel fructum ex eo præbeat. *5to.* Simonia juris humani, quando res spiritualis

D d d d ;

ritualis

ritualis cum re item Spirituali contra Ecclesie prohibitionem propria commutatur Authoritate. *Cap. questum. 5. cap. cum olim. de rerum permutat.* vel res merè temporalis contra prohibitionem Ecclesie in reverentiam rei sacre factam venditur, ut, cum pro materia Olei sacri vel Chrysmatis, aut pro officio temporali Oeconomi, Sacriste vel aliqua temporalium rerum Ecclesie administratione pecunia porrigitur. *Cap. consule. 38. de Simon.*

Quæres primo: quænam res in pactione simoniaca habet rationem mercis?

ꝛ. Res spiritualis rebusque spiritualibus annexa. Tria autem rerum spiritualium sunt genera. *1mo.* Aliæ sunt res spirituales per essentiam, ut gratia sanctificans, gratiæ gratis datæ, virtutes supernaturales, potestas ordinis & jurisdictionis Ecclesiasticæ tam pro foro inquam externo. *2do.* Spirituales secundum causam, ut Sacramenta, Sacrificium Missæ, Sacramentalia. *3tio.* Sunt spirituales secundum effectum, ut opera meritoria, actus ordinis & jurisdictionis, administratio Sacramentorum, susceptio ad religionem, dispensatio vel commutatio votorum, absolutio à censuris &c.

Quæres secundo: quænam spiritualibus annexa sunt Simoniæ materia?

ꝛ. Illa, quæ quamvis in se temporalia, cum re tamen spirituali, vel antecederet, vel concomitanter, vel consequenter connectuntur, sic *1mo* antecederet cum spiritualibus annexa sunt Ecclesie, Altaria, vasa Sacra,

Jus patronatus, præsentatio, electio, renuntiatio, beneficii collatio, hæc enim res spirituales, Sacramentorum administrationem, divinorum celebrationem antecedunt, atque ad illa ordinantur. *2do* concomitanter connexa sunt, quæ cum re spirituali unum totum morale constituunt, sicut actio Sacramentalis baptizantis v. g. cum baptismo, labor corporalis cum recitatione officii Divini, materia calicis cum illius consecratione. *3tio* consequenter annexa sunt, quæ spiritualia præsupponunt & ab illis dependent, ita in Beneficiis Jus percipiendi redditus temporales cum officio divino connectitur, ratione cujus redditus percipiuntur: Jus decimandi spirituale præsupponit titulum, quia decimæ dantur DEI Ministris in divini recognitionem dominii.

Quæres tertio: An res spiritualibus connexæ nullo modo absque Simoniaca pravitate vendi possint?

ꝛ. Pro hoc sequentes serviant regulæ:

1ma. Connexum cum spirituali quæ tali & ratione suæ connexionis vendi nequit, sic enim ipsum spirituale venditionis subiceretur contractui; ideo Simonicus est, qui prædium, cui Jus patronatus annexum est, calicem benedictum propter spiritualis rei connexionem pretio vendit majori.

2da. Illa, quæ per se antecederet sunt connexa cum re spirituali, vendi non possunt, suntque materia simoniæ, ideo Jus patronatus, præsentatio ad beneficium & similia sunt invendibilia, secus est, si quid tantum per accidens

&

& remotè cum spirituali sit connexum.

311a. Quæ rebus spiritualibus concomitanter, sed per se & intrinsecè connectuntur, vendi nequeunt, sic actio corporalis, quæ in dicenda Missa, Sacramentorum administratione per se intervenit, pretio æstimari non potest; si tamen aliquod onus merè extrinsecè accedat, ut si quis longum iter ad celebrandum facere debeat, illud aliquo temporali licitè compensatur. Vasa Sacra sunt concomitanter & per se cum spirituali connexa consecratione, ideo humano non subjiciuntur commercio. *Can. placuit. 102. caus. 1. q. 1. Can. si quis objecerit. 7. caus. 1. q. 3. cap. non satis. 8. cap. ea qua. 16. cap. in tantum. 36. de Simon.* Si tamen vasa Sacra tali accipiantur modo, quo ante consecrationem fuerunt, vendi possunt, sic una Ecclesia alteri calicem aureum licitè vendit.

41a. Quæ cum spiritualibus consequenter connexa sunt, durante connexionem venditionem non recipiunt; quia in talibus spirituale est principale, & temporale est accessorium, à spirituali dependens, & spiritualitatem necessario participans, cum accessorium naturam sequatur principalis. Unde beneficium, Jus decimandi &c. etsi Jus, aliquod temporale percipiendi, contineant, vendi vel emi non possunt. *Cap. cum essent. 12. cap. insinuationum. 13. cap. ex insinuatione. 26. cap. nobis. 27. cap. tua nos. de Simon.* Dixi; durante connexionem, si enim temporale à spirituali separetur, ut redditus temporales

à beneficio, decimæ à spirituali titulo, non est dubium, quin venditionis contractum admittant.

Quæres quarto: quid in Conventione Simoniaca pretii habet rationem?

ꝛ. Pretium temporale in labe Simoniaca interveniens munus appellatur, & dividitur in munus à manu, à lingua, ab obsequio. *Can. Salvator. 8. caus. 1. q. 3.* Munus à manu dicitur pecunia, & res quælibet æstimabilis & utilis, sic remissio debiti, concessio mutui &c. sub munere à manu hic comprehenduntur. Munus à linguâ sunt laudes, preces, commendationes apud tertium in causa quadam eo pacto interpositæ, ut dignitas, beneficium, aut alia res spiritualis interponenti conferatur. Munus ab obsequio sunt quælibet servitia aut obsequia, aliæve præstita vel præstanda sub conditione & obligatione rem spiritualem v. g. beneficium conferendi. *Cit. cap. cum essent. 12. de Simon.*

Quæres quinto: qualis in Simoniæ vitio intervenit conventio?

ꝛ. Ut Simoniaca sit conventio, aliquod pactum onerosum tacitum, vel expressum, quo res spiritualis cum temporali commutatur intervenire oportet. *Cap. fin. de pactis.* Unde Simonia non committitur in seqq. 1mo. Si conferens aliquod spirituale, munus à manu, lingua vel obsequio gratis omnino, ex benevolentia, amicitia aut gratitudine, sine ulla intentione recipientem obligandi, admittat, quia illud gratanter recipi poterit, quod fuit sine taxatione gratis oblatum, talis autem intentio præsumitur, si post rem spiri-

spiritualem gratuita fiat muneris oblatio, aut si antecedit quidem, sed sit de re modica, quæ animum accipientis non facile ad Simoniacum valeat movere affectum. *Cap. est quæstiones. 18. de Simon. alias intentio & simoniaca affectio raro abest, & est plerumque saltem tacita promissio & pactum implicitum, si offeratur res consideratione digna titulo amicitiae & benevolentiae illi, qui rem spiritualem dare potest, ut eandem conferre non gravetur, ideo merito ab Innoc. XI. damnata est hæc propositio: dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed duntaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale est solum gratuita compensatio pro spirituali aut e contra.*

2do. Ministri Ecclesiæ pro Sacramentorum administratione, Missis, aliisque spiritualibus functionibus Titulo sustentationis, & per modum stipendii licite temporalia recipere possunt ex declaratione Christi *Matth. 10. Dignus est operarius cibo suo, & Luc. 10. Dignus est operarius mercede sua* Ubi nomine mercedis non intelligitur aliquid correspondens & opere spirituali proportionatum, sed stipendium correspondens Conditioni personæ operantis, quæ ob labores spirituales sustentatione & stipendio digna est, quantitas hujus stipendii à consuetudine aut superioris taxatione sumenda est. *Cap. ad Apostolicam. 42. de simon.* attamen omne turpe pactum & rigorosa avaritiæ præferens speciem, exactio abesse debet,

nec à Ministris servitia spiritualia, antequam pecunia numeretur aut de illa cautio præstetur, sunt neganda, quia per similia animus & affectus simoniacus exprimitur. *Cap. in tantum. 36. cap. audivimus. 41. de simon.*

3tio. Absque labe simoniaca res temporalis adjecta conditione, vel modo præstandi operis spiritualis dari, promitti aut legari potest. *Cap. cum sit. 2. cap. verum. 4. de condit. apposit.* quia in hujusmodi casibus pactum onerosum, absolutam imponens obligationem non intervenit, nec res temporalis habet rationem pretii, sed solum sub conditione aut modo licito & honesto donatur vel legatur.

Quæ res sexto. Qualiter in receptione ad Collegium Ecclesiasticum Simonia committitur?

2. 1mo. In Monasteriis utriusque Sexus dare aliquid pro ingressu, receptione habitus acceptione ad profectum sine dubio est simoniacum. *Can. nullus Abbas. 3. caus. 1. q. 3. Cap. non satis. 8. Cap. veniens. 19. Cap. de regularibus. 25. Cap. quoniam. 40. cap. audivimus. 41. de sim.* nec hæc simonia pallio sustentationis velari potest, cum religio hoc sustentandi onus in se per religiosi receptionem suscipiat, quem proinde ex suis bonis, aut si sit mendicantium, ex ordinariis Eleemosinis sustentare obligatur, ideo alimentationis titulo nihil exigi potest, nisi Monasterium sit tam tenue, vel tam pauca Eleemosynæ, ut Religiosi jam recepti sustentari nequeant, unde docet *Doctor Angel. 2. 2. q. 100. a. 3. ad. 4. Si Monasterium*

sterium sit tenue quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere possunt, sed licet accipere aliquid pro victu personæ, quæ fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes. Præterea in Religiosorum receptione absque vitio Simonix quædam temporalia pro superioribus aut aliis religiosis exigi non possunt. *Extrav. sanè. 1. de Simon. inter com.* non licet in personarum receptione aut ante vel post illam, quoscumque pastus, prandia seu Cænas, pecunias, jocalia aut res alias, etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum aliam deputata, vel deputanda, directè vel indirectè petere vel exigere. Illa duntaxat, quæ personæ ipsæ ingredientis, putè & sponte & plenâ liberalitate omnique pactione cessante, dare vel offerre Ecclesiis voluerint, cum gratiarum actione recipere licet.

2do. In Collegiis Canonicorum Sæcularium dare bona temporalia, ut quis in Canonicum recipiatur, est Simonia damnata per *Cap. tua nos. 34. de Simon.* In Clerico, qui Ecclesiæ suæ bona obtulerat, ut in Canonicum receptus, sic oblata ad tempus vitæ in præbendam retineret. Ubi additur: Si is, qui absque tali conditione donationem puram & absolutam fecisset, ea tamen intentione, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum purè sic offerentem admisissent, non fuissent tamen recepturi nisi commoda temporalia perciperent, sine dubio tam ille, quam isti apud di-

R. D. Schnorrenberg. *Instit. 7. Can.*

strictum judicem, qui scrutator est cordium & cognitor secretorum, culpabiles judicantur. Deinde Simoniacum est, si à Canonico neco: recepto temporalia quædam pro singulis Canonicis, quæ pecuniæ statutorum vocari solent, antequam ad fructiferam Canonicatus sui admittatur possessionem, exigantur. Est expressum in *Cap. Jacobus. 44. de Simon.*

Quæres septimo: An Consuetudo hæc & similia non excuset?

ꝛ. Nequaquam. Patet ex *Cap. non satis. 8. cap. cum in Ecclesia. 9. cap. in tantum. 36. cap. sicut. 39. cap. Jacobus. 44. de Simon.* Ratio est: quia Simonia vel Jure naturali & divino, vel Jure solum Ecclesiastico prohibita est, nulla autem legitima & rationabilis consuetudo contra Jus divinum, vel Ecclesiæ prohibitionem ipsam consuetudinem velut corruptelam reprobantem, induci potest. *Cap. cum tanto. fin. de consuetud.*

Nec obstat. Quod in *Cap. ad Apostolicam. 42. de Simon.* Consuetudines laudabiles aliquid temporale in receptione spiritualium offerendi, approbentur, quia consuetudines laudabiles sunt, vel quando initium habent à gratuitis fidelium oblationibus, ex mera eorum liberalitate profectis, vel quando talia oblata non velut pretium, sed in Ministrorum Ecclesiæ dantur sustentationem. Aliæ exactiones, sub cujuscunque consuetudinis prætextu fiant, reprobantur, sic enim loquitur Alexand. III. in *Cit. cap. non satis*: nec sub obtentu cujuscunque consuetudinis reatum suum quis tueatur: quia diuturnitas tem-

E e e e poris

poris peccata non minuit sed auget. Ideo Trident. sess. 24. de Reform. cap. 1. cum in pluribus Ecclesiis tam Cathedralibus quam Collegiatis & parochialibus, ex earum Constitutionibus aut ex prava consuetudine observari intelligeret, ut in electione, Præsentatione, Nominatione, Institutione, Confirmatione, vel aliâ provisione, sive admissione ad possessionem alicujus Ecclesiæ Cathedralis, vel Beneficii, Canonicatum vel præbendarum vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas certæ conditiones, seu deductiones, ex fructibus solutiones, promissiones, compensationesque illicitæ interponantur, hæc cum Sancta Synodus detestaretur, mandat Episcopis, ut quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui Simoniacæ labis aut solidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant, ipsique diligenter de eorum constitutionibus sive consuetudinibus super prædictis cognoscant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas & scandalosas rejiciant & aboleant.

Quæres octavo: An & qualiter absque Simoniacæ pravitate ad redimendam vexam in receptione rei spiritualis temporale tribui possit?

R. primo: Qui circa Beneficium Jus spirituale plenè est consecutus, ut, quia est electus & confirmatus, illi, qui Juris quæriti possessionem injustè turbare intendit, absque Simoniæ vitio aliquid temporale offerre potest. Ratio est: quia talis temporale non pro conse-

quendo beneficio, utpote quod jam habet, sed solum pro averrenda tribuit injuria. Cap. dilectus. 28. de Simon. 2do. Si quis Jus plenum in beneficio nondum est consecutus, ut electus, sed nondum Confirmatus, præsentatus, sed nondum institutus &c. injustam vexam à confirmatore vel institutore, vel aliis, à quibus Jus spirituale, quod deest, expectat, aliquo temporali redimere non potest, siquidem per hujusmodi redemptionem ad spirituale sibi viam pararet. Cap. Mattheus. 23. de Simon. quamvis ab aliis qui Jus eligendi, conferendi vel confirmandi non habent, sed aliunde injustè impediunt, vexa redimi valeat, quia tunc sola injusta redimitur vexatio, & injuriosum removeretur impedimentum.

Quæres nono: An omnis provisio Beneficii, ut electio præsentatio, confirmatio &c. irrita sit & nulla, si ab uno vel pluribus ad hos actus concurrentibus commissa Simonia?

R. Omnis provisionis Beneficii, in qua pactio intervenit Simoniaca, quia ab uno vel pluribus aut aliquid temporale datum, aut iisdem temporale quid promissum, actus ex Jure Ecclesiastico ipso facto nulli sunt & invalidi, ita, ut taliter provisus beneficium ante omnem Judicis Sententiam dimittere & fructus perceptos restituere teneatur. Cit. cap. Mattheus.

Quæres decimo: quid si ignorante provisio ab amicis promissa vel data electoribus pecunia?

R. Quantumvis ignorante provisio commissa sit Simonia, provisio nihilominus

minus irrita est & nulla. *Cap. ex insinuatione. 26. de Simon. Extrav. cum detestabile. 2. eod. tit. inter Com.* etiamsi provisorius Simoniam ignoraverit inculpabiliter, nec resciscens postea ratificaverit. Excipiuntur duo casus. 1^{us}. In *Cap. nobis. 27. de Simon.* si quis inscio provisorio in ejus odium & dispendium per fraudem pecuniam maliciose dedisset aut promississet, ut ejusdem provisorio postmodum cesseretur. 2^{us}. In *Cap. sicut tuis. 33. de Simon.* si provisorius ante provisionem Simoniacæ contradixerit pactio, & se nolle ut quicquam in sui favorem aliquid temporale det vel promittat, serio fuerit protestatus. Rationem exceptionis dat Pontifex in *cit. Cap. sicut tuis.* inquit: alioquin contingeret, quod alicujus factum insidias inimico parantis ei damnosum existeret, cui penitus displiceret, & sic aliquis de fraude suâ commodum reportaret.

Quæres undecimo: quæ Simoniacorum pœnæ?

1^o. 1^{mo}: Simonia mentalis in foro externo est extra omnem pœnam. *Cap. fin de Simon.* Ratio est: quia enim intentio simoniaca, quæ operi conjungitur externo, non manifestatur exterius, cum externum opus sit indifferens, Ecclesiasticæ haud subest punitioni, cum Ecclesia sese de internis non judicare confiteatur. In *cit. Cap. sicut tuis. 33. de Simon.*

2^{do}: Simonia conventionalis, licet ex parte unius sit completa, certam pœnam à jure non habet determinatam, quamvis provisorio ex conventionali simonia facta nulla sit, & provisorio ad

aliud beneficium reddat incapacem. Pœnæ Simoniacæ realis ad Conventionalem extendendæ non sunt, tales enim pœnæ, ut dicitur *Extrav. 1. & 2. de Simon. inter com.* dantibus & recipientibus, qui non sunt in simonia conventionali nondum completâ, infliguntur, in pœnis autem benignior facienda interpretatio. *L. Sancimus. 21. Cod. de pœnis.*

3^{io}: Simonia realis sequentibus subjacet pœnis: si in susceptione ordinum commissa Simonia, ordinans per triennium à collatione ordinum suspenditur. *Cap. si quis ordinaverit. 45. de Simon.* Ordinatus vero si conscius vel complex, tam à susceptis quam suscipiendis suspenditur ordinibus. *Cap. per tuas. 37. de Simon.* Non Simoniacè, scienter tamen à Simoniaco ordinatus Episcopo, ab ordinum suspenditur executione *Can. si qui. 108. caus. 1. q. 1.* si simonia in beneficiorum contigerit collatione, præterquam quod collatio omnino nulla sit & invalida, tam simoniam committentes, quam mediatores seu procuratores excommunicationem Summo Pontifici reservatam incurrunt, ab altaris ministerio perpetuo sunt deponendi, & beneficiis ante obtentis privandi. *Can. presbyter. 3. caus. 1. q. 1. Cap. de hoc. 11. cap. insinatum. 13. de Simon. Extrav. cum detestabile. 2. eod. tit. inter com.* Si in ingressu religionis Simonia commissa, præter excommunicationem Conventus Simoniacè aliquem recipiens suspenditur, à quibus non nisi à Sede Apostolica absolutionem impetrare potest. *Extrav. sane. 1. de Si-*

Eccc 2 mon.

mon. inter com. Professio simoniacè, facta valida quidem est, sed taliter professus arctiori Monasterio est recludendus. *Cap. de Regularibus. 25. de Simon.* Contra Simoniam Confidentialem à Pio IV. in Bulla: *Romanum Pontificem*, & à S. Pio V. in Bulla: *intolerabiles*. Latæ sunt pœnæ sequentes. 1^{ma} excommunicatio Summo Pontifici reservata in inferioribus, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ in Episcopis aliisque Prælatiis. 2^{da} annullatio actus, ut collationis, resignationis &c. 3^{ta} inhabilitas, quâ simoniacus ad omnia alia beneficia redditus incapax. 4^{ta} privatio omnium beneficiorum habitorum 5^{ta} beneficiorum Simoniacè collatorum vel resignatorum reservatio.

Quæres *duodecimo*: an, & qualis ex simonia oriatur restituendi obligatio?

R. 1^{mo}: est obligatio restituendi, si pretium pro re spirituali non tantum simoniacè sed etiam injuste acceptum, v. g. pro Sacrificio Missæ, Sacramentis &c. sive ad ea pretium recipiens ex officio obligatus erant, sive non. Quia venditio hæc invalida est, & retentio esset pretii contra justitiam commutativâ, quod quantum est de Jure naturæ danti restituendum est, respectu enim illius commissæ est injustitia.

2^{do}: de Jure saltem positivo, pretium pro collatione, electione, Confirmatione vel renuntiatione acceptum etiam in foro conscientiæ ante omnem judicis Sententiam restitui debet. *Cap. de hoc. 11. de Simon.* Ratio est: quia Jus impedit, quo minus recipiens pretii sic accepti dominium acquirere valeat,

cum Pontifex in *cit. cap. de hoc*, illud quod pro præstito in electionem assensu acceptum erat, restitui mandat, eo quod sine gravi salutis periculo retineri non possit. Est autem pretium Simoniacum non danti, sed Ecclesiæ illi, in cujus simonia commissæ est, injuriam, restituendum. *Cit. cap. de hoc.*

3^{tio}: Si res temporalis pro Beneficio Ecclesiastico ex parte unius tradita, nec tamen subsecuta beneficii collatio, pretium est restituendum, at si econtra beneficium vel alia res spiritualis tradita, pretium verò non sit solum, questio est, an spirituale restituendum. Quidam affirmant, eo quod collator animum conferendi non habuerit, nisi ex contractu vel pacto oneroso, ac proinde ex defectu voluntatis in dante beneficium, si pretium non solvatur, beneficium retineri nequit. Alii verius negant, cum conditio pretii de re turpi sit, ideoque habetur pro non adjecta, unde non impedit, quo minus collatio sit absoluta.

3^{tio}. Ex simonia mentali non oritur restituendi obligatio: quia licet dantis vel accipientis intentio sit, rem spirituales dare pro temporali, ex quo tamen hæc intentio in pactum non est deducta, res non titulo simoniaco, sed potius simpliciter acquisita censetur, in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori *Cap. fin. de Simon.*

* * *

TITULUS TERTIUS.

D E

Magistris, & ne aliquid exigatur pro Licentia docendi.

Alia pretii exactio, quæ speciem Simonix habet, est, quando pro licentiâ docendi petitur pretium, unde propter materix connexionem titulo de simonia, præsentem subjiciendum duximus.

Quæres primo: quinam appellantur Magistri?

ꝛ. Illi, qui gradum, & insignia doctoralia legitimè sunt consecuti; Magister & Doctor Synonima sunt, quamvis hodiernus usus Theologis, Jurisconsultis & medicis titulum Doctoratus, Magisterii autem solis Philosophis & artium Professoribus attribuat.

Quæres secundo: quanta Magistrorum necessitas?

ꝛ. In qualibet Cathedrali & Collegiata de Jure constituendi sunt Magistri, qui Grammaticam & Theologiam doceant, ac clericos in eis, quæ ad animam pertinent, soletter instruunt. *Cap. quoniam. 1. cap. prohibens. 2. cap. quia. 4. hoc tit. quæ innovata sunt à Trident. sess. 5. de Reform. cap. 1. & sess. 23. de Reform. cap. 18.*

Quæres tertio: An pro doctiōne vel licentiâ docendi aliquid temporale recipere sit licitum?

ꝛ. Dare vel accipere pretium pro

concessiōne licentiæ vel facultatis docendi, aut pro ipsa Doctiōne, non est simonia; actus enim docendi non est res Sacra, nec actus potestatis spiritualis vel supernaturalis, pro quo pretium dari vel recipi nequit. Attamen Canones præcipiunt, ut in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis constituantur Magistri, qui pauperes Clericos gratis doceant, illis præbendâ pro stipendio assignata. *Cit. cap. quoniam. & Trident. loc. cit. pro licentiâ docendi nihil exigi, vel promitti debet, exactum etiam non obstante quâlibet consuetudine restituendum est. Cap. 2. & 3. h. tit.*

Quæres quarto: quæ pœnæ pro licentiâ docendi aliquid exigentium?

ꝛ. In *Cap. quoniam. 1. h. tit.* statuitur, ut pro licentiâ docendi nullus pretium exigat, qui autem contra hoc venire præsumpserit, ab Ecclesiastico fiat beneficio alienus, dignum quippe videtur, ut in Ecclesia fructum sui laboris non habeat, qui cupiditate animi, dum vendit docendi licentiâ, Ecclesiasticum profectum nititur impedire. In *Cap. quanto. 3. h. tit.* ita loquitur Alexand. III. dignos esse animadversione censemus, qui nomen Magistri Scholarum & dignitatem assumunt, &

Eeee 3 sine

sine certo pretio Ecclesiasticis viris, docendi alios licentiam non impendunt. Cum autem hæc prava consuetudo à cupiditatis radice processerit, & decorem admodum Ecclesiasticæ honestatis confundat, mandamus, quatenus, consuetudine ipsâ de vestris Ecclesiis extirpatâ, sub Anathematis interminatione hoc inhibere curetis. Si qui huiusmodi prohibitionis vel præcepti extiterint transgressores eos officiis & dignitatibus spoliatis.

Quæres quinto: An Magister præbendatus stipendium absque Simonia vitio pro doctore exigere possit?

R. Quamvis officium seu obligatio, Theologiam, Jus Canonicum aut etiam Grammaticam docendi beneficio annexa sit Ecclesiastico, non est tamen Simonia contra Jus naturale vel divinum, si talis Magister præter stipendium, quod Ecclesia ei præsentat à discipulis pecuniam exigat, semper enim temporale pro temporali accipitur, etiam si functio illa propter stipendium, quod ab Ecclesia accipit, ex iustitia sit debita, si tamen Magister pro docendi munere cum hoc expresso vel tacito pacto, ut gratis doceat, condignum ab Ecclesia accipit stipendium, injustè pretium exigere non dubitatur.

Quæres sexto: An pro doctore Theologica, aut Consilio Theologico aliquid exigere sit Simonia?

R. *Negative*: Ille enim actus est mere naturalis, cum à scientia labore humano acquisitâ procedat, adeoque pretio est æstimabilis, modus etiam instruendi, sive cognitionem illam tradendi per modum humani est magisterii, ef-

fectus quoque seu finis intrinsecus illius actus est in cognitione talis veritatis instruere intellectum, quod autem à Discipulo vel consulente ad curam animarum vel propriam ordinetur conscientiam, per accidens est & intrinsecum.

Quæres septimo: An simoniacum sit vel illicitum, accipere pretium pro gradu licentiæ vel doctoratus in aliqua Facultate collatione?

R. *Negative*: Quia *1mo* isti gradus nihil spiritualis in se continent. *2do*. Ordinantur ad actum docendi, qui spiritualis non est. *3tio*. Gradus sunt solum publica scientiæ studio & labore acquisitæ testimonia, cum quibusdam privilegiis, facultatibus, atque ita hi gradus sunt pretio æstimabiles, non minus quam doctrina ad quam ordinantur.

Quæres octavo: Qualiter sumptus in promotione ad gradus in Universitate sint moderandi?

R. *Juxta Clement. cum sit. 2. h. iii.* Ille ad quem dare magisterium vel doctoratum spectat, prius à doctorando juramentum recipere debet, quod in doctorali sua solemnitate ueltra Summam 3000. Turonensium argenteorum non expendet, quæ summa juxta *Gloss. in cit. Clement. facit 250. aureos*, quod si promotor non fecerit, etsi sit Episcopus, à collatione Magisterii per sex menses est suspensus. Quidam hanc Clementiam in plerisque locis non esse receptam volunt. In Universitate nostra Coloniensi juramentum prædictum ante promotionem per Pedellum prælegi-

legitur, & stipulatâ manu post prælectionem juratur.

Quæres nono: Quo Magistri Theologiam docentes gaudent Privilegio?

ꝛ. Juxta Cap. super specula. §. hoc titulo. docentes in Facultate Theologica, toto tempore, quo in Scholis docuerint, præbendarum suarum proventus, alia consuetudine vel statuto non obstante percipiunt. Additur Ratio; cum denario fraudari non debeant in vinea domini operantes, hoc privilegium ad illos etiam extenditur, qui non sunt stipendiati, aut ex obligatione suo beneficio adhærente in Universitate publice docent.

Quæres decimo: Quod est Candidatorum Theologiæ Privilegium?

ꝛ. Prælati & Capitula ad Theologiæ professionis studium aliquos dociles destinare jubentur in cit. cap. super specula. qui cum docti fuerint, in Dei Ecclesia velut splendor fulgeant firmamenti, ex quibus postmodum Capita possit haberi Doctorum, qui velut stellæ in perpetuas æternitates mansuri ad justitiam valeant plurimos erudire. Quod si proprii proventus Ecclesiastici non sufficiant, Prælati & Capitula necessaria subministrent, & integrè per annos quinque percipiant præbendarum & beneficiorum suorum proventus.

Quæres undecimo: An Privilegia docentium & studentium Theologiæ, ad jus Canonicum audientes extendenda?

ꝛ. Affirmativè: ut sæpius declaravit S. Congregatio: quia non minus prodest Ecclesiæ universali, Juris Cano-

nici quam Theologiæ scientia, cum ad regimen Ecclesiarum & bonam officiorum Ecclesiasticorum administrationem Juris Pontificii omnino necessaria sit notitia, quæ est pars Theologiæ, & iisdem, quibus Theologia, nititur principiis, videlicet sacrâ scripturâ utriusque Testamenti, Decretis summorum Pontificum, generalium Conciliorum, Statutis, ita, ut in quæstione, quisnam in promotione ad Episcopatum. Idem est de alio quocumque beneficio curato: præferendus sit Theologus, an Canonista, responderi solet: in locis hæresi infectis præferendum Theologum, in aliis Canonistam, quamvis melius dicatur, nullum promovendum, qui non sit Theologus & Canonista, cum nec Theologus sine jure Canonico, nec Canonista valeat esse perfectus.

Quæres duodecimo: An prædictis privilegiis gaudeant ubique locorum docentes & studentes?

ꝛ. Qui Privilegio, fructus beneficiorum in absentia percipiendi, gaudere volunt, in celebri Universitate quædam vel studio generali Theologiam aut jus canonicum docere vel audire debent, ut declaravit S. Congregatio. Ideo prudenter in pluribus Cathedralibus & Collegiatis est statutum, ut nullus Canonicus ad residentiam fructiferam admittatur, qui non habet testimonium, quod per biennium in Universitate Catholica studuerit.

Quæres ultimo: Quid circa studium linguarum Canones ordinaverunt?

ꝛ. Clemens V. in Clement. 1. de Magistr. ad fidem inter infideles propagandum

gandam statuit, ut in præcipuis totius Europæ Univerſitatibus, nempe in ſtudiis Romanæ Curie; Univerſitate Pariſienſi in Italia, Oxonienſi in Anglia, Salmanticensi in Hiſpania Viri Catholici & periti conſtituantur, qui Scholas in lingua Hebraica, Arabica, Chaldaicâ regant, aliosque inſtruant, quibus

de ſtipendiis & ſumptibus ab Eccleſiarum Prælatiſ & Rectoribus Monafteriſ, Capituliſ Collegiſ, etiam exceptiſ in prædictiſ Regniſ ſciſ, juxta facultatum exigentiam providendum, privilegiſ & exemptionibuſ quibuſcumque contrariuſ nequaquam obſtantibuſ.

TITULUS QUARTUS.

DE

Judeis & Saraceniſ.

TRES ſunt infidelium claſſeſ *1mo.* Judæi, qui Legem Moſaycam ad litteram tenent abſque fide in CHRISTUM, ſic dicti à Tribu Juda, quæ inter duodecim Tribuſ erat præſtantior. *2do.* Saraceni, qui falſoſ Deoſ colunt, maxime vero qui impii Mahometiſ deliriâ ſequuntur, veluti Turcæ, Perſæ, Arabeſ, Tartari, &c. *3tio.* Hæretici, videlicet Chriſtiani in fide pertinaciter erranteſ, de hiſ poſterioribuſ Titulo ſequenti.

Quæreſ *primo*: An in Repub. bene ordinatè tolerandi ſint Judæi?

ꝛ. Affirmativè. Liqueſ ex Cap. *Judeoſ.* 13. *h. 1. Cap. Judæi* 21. *de teſtib.* Ratio eſt: quia Judæorum inter Catholicos habitatio fidem confirmat Chriſtianam, & veritatem illorum, quæ vetuſ continet teſtamentum, ut cum S. Aug. obſervat *D. Thom.* 2. 2. 9. 10. 4. 11. *O.* ex hoc quod Judæi riſuſ ſuoſ obſervent, in quibuſ olim

præfigurabatur veritas fidei, quam tenemuſ, hoc bonum provenit, quod teſtimonium fidei habeamuſ ab hoſtibuſ, & quaſi in figura, nobiſ repræſentatur, quod credimuſ, & ideo in ſuiſ ritibuſ tolerantur.

Quæreſ *ſecundo*: An juſtè Judæi ex quibuſ Regniſ ejeſti?

ꝛ. Non eſt dubium, perfidam & induratam Judæorum gentem, ob plurima mala, quæ fideleſ ex eorum cohabitatione ſunt paſſi, laudabiliter ex quibuſdam Regniſ Provinciſ & Civitatibuſ eſſe eliminatam. Hinc *Innoc. III. in cap. eſi Judeoſ.* 13. *h. 1.* ſic inquit: alia inſuper deteſtabilia & inaudita committunt, propter quæ fidelibuſ eſt verendum, ne divinam indignationem incurrant, cum eoſ perpetrare patiuntur indignè, quæ fidei noſtræ conſuſionem inducunt. Ex hiſ facile ac juſtè Princepſ Chriſtianuſ ad generiſ non ſolum ſubdituſ Catholicuſ tam pernitioſi

nitiosi, sed etiam in Salvatore nostrum maximè blasphemi ejectionem & extirpationem commoveri possent.

Quæres tertio: In quibus casibus est interdicta cum Judæis communicatio?

R. Quamvis in externis commerciis Christianis cum Judæis negotiari licitum sit, cavenda tamen nimia ob periculum perversionis cum ipsis familiaritas, ideoque plures in Jure expressi sunt casus, in quibus Christianis cum Judæis communicare non licet. Sic prohibetur 1^{mo}. Christiani cum Judæo in eadem domo cohabitatio. *Cap. Judæi. 5. h. t. 2^{do}*. Extra casum necessitatis uti operà Judæi in medendo. 3^{io}. Cum eo balnea frequentare. 4^{to}. Vesci azymis Judæorum. 5^{to}. Eorum nuptias frequentare, eos ad prandium invitare, cum illis convivari. *Can. nullus eorum. 13. can. omnes. 14. caus. 28. q. 1.* quia ut dicitur in *cit. can. omnes*. Indignum atque sacrilegum est eorum cibos à Christianis sumi, cum ea quæ permittente Apostolo nos sumimus, ab illis judicentur immunda, ac sic inferiores incipiant esse Christiani, quam Judæi, si nos quæ ab illis apponuntur, utamur, illi vero à nobis oblata contemnant. 6^{to}. Judæis famulari. *Cap. multorum. 2. cap. ad hac. 8. cap. etsi. 13. h. tit. 7^{mo}*. Eorum filios nutrire. *Cit. cap. etsi.*

Quæres quarto: quæ causæ & pœnæ hujus prohibitionis?

R. 1^{mo} Causa vitandi peccati: ne videlicet scemine præsertim pauperes in Judæorum servitio constitutæ libidinem carnali populo prostituant; dein-

R. D. Schnorrenberg. *Instit. 7. Can.*

de ne eorum participatione subvertantur Christiani *cit. cap. ad hac*. tertiam causam exprimit Pontifex *cit. cap. etsi*. his verbis: ne filii liberæ filii famulentur ancillæ, sed tamquam servi à Domino reprobati, in cujus mortem nequiter conjurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant servos illorum, quos Christi mors liberos, & illos servos effecit. 2^{do}: huic prohibitioni contravenientes excommunicari jubentur. *Cit. can. nullus eorum, cap. Judæi. 5. cap. etsi. 13. h. t.*

Quæres quinto: An Judæus vel alius infidelis publico officio inter Christianos præfici possit?

R. Nequaquam. Est enim nimis absurdum, ut blasphemus Christi in Christianos vim potestatis exercent, infideles quoque sub tali prætextu Christianis plurimum sunt infesti. Ille, qui in publicis negotiis Judæum præfecerit, distractione, quæ convenit, compescendus est. Officiali vero hujusmodi tandem Christianorum communio in commerciis & aliis denegatur, donec in usus pauperum Christianorum, secundum providentiam Diœcesani Episcopi, convertatur, quidquid fuerit à Christianis adeptus ratione officii sic susceperit, & Officium cum pudore dimittat, quod irreverenter assumpsit. *Cap. cum sit nimis. 16. h. t.*

In *cap. ex speciali. 18. h. t.* jubetur, ut si forte Rex aut alius Princeps Christianus reditus suos Judæis vendiderit, vel paganis, Christianum tunc deputet de gravaminibus inferendis Clericis & Ecclesiis non suspectum, per quem Judæi

Ffff live

sive Saraceni sine Christianorum injuria Jura regalia consequantur.

Quæres sexto: quæ præterea Judæis in Christianis Principis territorio habitantibus specialiter à Jure interdicta?

Re. 1mo: prohibentur erigere novas Synagogas, veteres tamen habere aut reparare permittuntur. *Cap. Judæi. 3. cap. consuluit. 7. h. t.* 2do. 1. Hebdomada sancta maxime in die Parasceves domos & ostia clausa habere debent. *Cap. quia super his. 4. cap. in nonnullis. 15 h. t.* 3mo: in omni Christianorum Provincia & omni tempore habitum distinctum, quo à Christianis discerni valeant, portare præcipiuntur. *Cst. cap. in nonnullis. 410: incap. quanto amplius. 18. de usur.* præcipitur Magistratibus Sæcularibus, ut Judæos compellant ad satisfaciendum Ecclesiis pro decimis & oblationibus debitis, quas à Christianis de domibus & possessionibus aliis percipere consueverant, antequam ad Judæos quocumque titulo devenissent, ut sic Ecclesiæ contingerentur indemnes.

Quæres septimo: quænam habitantibus inter Christianos Judæis sunt permissa?

Re. 1mo: Judæi invitati & nolentes ad baptismum cogendi non sunt: quia credere est libera voluntatis, & Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptismum non spontaneus, sed invitatus cogitur pervenire. *Cap. sicut Judæi. 9. h. t.* hinc proles Judæorum, quamdiu rationis usum non attigerunt, invitatis parentibus non sunt baptizandi, tamdiu enim sub parentum curâ existunt, si post usum rationis

baptizari petunt, baptizandi sunt, & per baptismum à patria liberantur potestate, nec in Successione proximorum agnatorum impediri possunt.

2do: *Lo. ut. cap. sicut Judæi. §. nullus etiam.* Præcipitur quoque, ut nullus Christianus Judæorum quemlibet sine judicio terrenæ potestatis vel occidere, vel vulnerare, vel pecunias auferre præsumat, aut bonas, quas hæcenus habuerunt, consuetudines immutare: præsertim in festivitatum suarum celebratione quisquam fustibus vel lapidibus nullatenus eos perturbet, neque aliquis ab eis coacta servitia exigat. Nemo Cæmeterium eorum muret aut invadat, sive obtentu pecuniæ corpora humana effodiat, alias honoris & officii sui periculum patiatur, aut excommunicationis Sententiâ plectatur.

Quæres octavo: quid de Judæis ad Christi fidem convertis?

Re. 1mo: Judæi ad fidem Christi conversi omnem communionem & familiaritatem cum Judæis in sua cecitate perseverantibus penitus declinare debent. *Can. sape malorum. 12. caus. 18. q. 1.* quia sæpe malorum consortia etiam bonos corumpunt, quanto magis eos, qui ad vitia proni sunt. Nulla igitur communio sit Hebræis ad fidem Christianam translatis cum his, qui adhuc in veteri ritu consistunt, ne forte eorum participatione subvertantur. 2do Judæorum filii vel filii baptizati, ne parentum ultra involvantur erroribus, ab eorum consortio separandi & deputandi sunt, aut Monasteriis, aut Christianis viris sive mulieribus Deum timentibus

mentibus, ut sub eorum conversatione cultum fidei discant, atque in melius instituti tam in moribus quam in fide proficiant. *Can. Judæorum. 11. caus. 28. q. 1.*

3tio. Judæi conversi à possessionibus suis nullatenus excludantur, cum melioris conditionis ad fidem convertos oporteat esse, quàm, antequam fidem susceperint, habebantur: unde Principibus sub pœna excommunicationis injungitur, ut portionem hæreditatis suæ & bonorum suorum ex integro eis faciant exhiberi. *Cap. Judæi. 5. h. t. scilicet ipsi in his & aliis favorabiles exhibentes, ipsos ab injuriis & molestiis protegant & defendant, ut sic de servitute ad libertatem se transisse percipiant. Extrav. dignum. 2. eod. inter com.*

Quæres nono: An præter Judæos alii infideles tolerandi?

R. Cum *S. Tho. 2. 2. q. 10. a. 11. O.* quod aliorum infidelium ritus, qui nihil veritatis aut utilitatis afferunt, non sint aliquantulum tolerandi, nisi forte ad aliquod malum evitandum, scilicet ad vitandum scandalum, vel dissidium, quod ex hoc provenire possit, vel impedimentum salutis eorum, qui paulatim sic tolerati convertuntur ad fidem, propter hoc etiam hæreticorum & Paganorum ritus Ecclesia aliquando toleravit, quando erat magna infidelium multitudo.

Quæres decimo: quæ fidelibus cum Saracenis interdicta communicatio?

R. 1mo. Tempore belli inter Turcas & Christianos illicita sunt cum ipsis mercimonia, merces ad eos per se vel

per alios deferendo, aut rerum subsidia seu consilia impendendo, qui hoc facere præsumpserit, non solum ipso jure incidit in excommunicationem, verum etiam iram DEI viventis incurrit. *Cap. quod olim. 12. h. t. 2do.* tempore etiam pacis sub pœna excommunicationis prohibitum est, tales ad Saracenos vel Turcas deferre merces, per quas Barbari isti contra Ecclesiam sese armare, & ad Christianos impugnandos fieri possunt validiores. *Cap. ita quorundam. 6. cap. ad liberandam 17. h. t. Extrav. un. eod.* his quoque falsis & implis Christianis gremium non est aperiendum Ecclesiæ, nisi totum, quod ex commercio tam damnato perceperint, & tantumdem de suo in subsidium belli contra Turcas transmiserint, ut æquo Judicio, in quo deliquerunt, puniantur. Quod si solvendo non fuerint, ita reatus eorum castigandus est, ut in ipsorum pœna aliis interdicitur audacia similia præsumendi. *Cit. cap. ad liberandam.*

Quæres undecimo: An licitum Christianis cum Paganis inire confœderationes?

R. Fœdera pacis & confœderationes de non offendendo, de tuendis finibus, de negotiorum ac commerciorum publica utilitate ac libertate, cum Saracenis, Turcis, Tartaris, aliisque infidelibus talvâ conscientiam iniri possunt, ac inita servari debent quamdiu infideles fidem non frangunt, quippe pacem & tranquillitatem colere indifferenter cum omnibus jubet Apostolus *Rom. 12.*

Quæres duodecimo: An liceat Principi Christiano in bello contra alium Christianum Principem cum Turcis inire fœdus?

Re. In bello ut putatur, iusto contra alium Christianum Principem Saracenos vel Turcas in auxilium vel subsidium advocare illicitum videtur, DEUS

enim tales confœderationes & pacta cum infidelibus inita in veteri prohibuit Testamento. *Exod. 23. Deuter. 7. &c.* Ratio est: quia infidelium auxilia contra Christianos maximè semper sunt & fuerunt Christianis nociva propter perversionis, invasionis aut defertionis periculum.

TITULUS V.

DE

Hæreticis, Schismaticis, & Apostatis.

Quæres primo: Quid, quantum, & qualiter eradicandum hæresis crimen?

Re. 1mo: Nomen hæresis, græcè ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. *Can. hæresis. 27. caus. 24. q. 3.* ut in præsentem sumitur, est error voluntarius & pertinax, hominis Christiani contra doctrinam & aliquam fidei catholicæ veritatem; si quis ex mera ignorantia aut simplici apprehensione, eorumve ductus auctoritate, apud quos educatus, aut apparente quâdam veritatis ratione deceptus, propositionem aliquam contra Catholicam teneat Ecclesiam, manifestâ veritate corrigi paratus, materialis est hæreticus, nec juris pœnas incurrit, idèoque à quocumque absolvi potest. Tales hæretici materiales, plures inter simplices maximè in Regionibus, ubi pauci sunt Catholici, inveniuntur.

Si autem errori Catholicæ fidei contrario voluntariè, scienter, & cum pertinacia quis adhæreat, hæreticus est formalis, tales plerique sunt, qui in Catholicis habitant Regionibus, & cum Orthodoxis quotidianam habent conversationem, quibus veræ fidei sufficienter proponuntur veritates. Hæreticus autem appellatur, licet de Ecclesia non recesserit, quicumque aliter scripturam intelligit, quam sensus Spiritus Sancti flagitat, quo scripta est *Can. hæresis. 27. caus. 24. q. 3.*

2do: Sicut crimen atrocissimum in Repub. politica crimen læsæ Majestatis terrenæ, quod in ipsam principis committitur personam, ita in foro Ecclesiastico crimen atrocissimū læsæ Majestatis divinæ est hæresis, quod in ipsam DEI personam committitur, cui, quamvis infinitæ auctoritatis existat, per hæresin fides denegatur, & ideo in hoc crimine non datur parvitas materiæ, sed qui-

quilibet articulo revelato dissensus, imo quodlibet deliberatum dubium de veritate aliqua revelata, & per Ecclesiam ad credendum proposita, mortale est peccatum; & sicut omnes, etiam illi, qui Jus accusandi non habent, in Crimine læsæ Majestatis pro accusatoribus, denuntiatoribus & testibus admittuntur, ita quoque servi contra dominos, Laici adversus Clericos, hæretici adversus hæreticos, aut alias criminosi de hæresi accusare possunt: quia hæresis est crimen publicum, in omnium redundans injuriam. *Cap. in fidei favorem. §. de hæresi in 6.*

310. Remedia opportuna ad eradicandam hæresin Canones præscribunt sequentia. 1mo. Omnibus laicis interdicitur; ne sibi prædicandi verbum DEI vendicent auctoritatem, neque conventus aut occulta foveant conciliabula, Sacerdotum simplicitate aut familiaritate contemptim habitâ, cum scriptum sit: *diis non detrahes*, per quod Sacerdotes intelliguntur, qui propter excellentiam Ordinis & Officii dignitatem Deorum nomine nuncupantur. *Cap. cum ex injuncto. 12. h. t. 2do.* Jubetur Archi-Episcopus & Episcopus per se vel Archi-Diaconos suos, aliasve personas idoneas bis aut semel saltem in anno, suam circuire & visitare Dioccesin, in hæreticos ac de hæresi suspectos inquirere. *Cap. excommunicamus. 13. §. adjicimus. h. t. 310.* Moniti ac requisiti per Ecclesiam Principes vel potestatem aliquam in Repub. habentes terram suam ab hæretica pravitate purgare tenentur. *Cit. cap. excommunicamus. 13. §. monentur.*

Quæres secundo: quæ pœnæ hæreticorum temporales?

ꝛ. Sequentes. 1ma. Infamia Juris, quâ hæretici ante omnem Judicis Sententiam ipso jure sunt infames. *Cit. cap. excommunicamus. 2da.* Confiscatio omnium bonorum. *Cap. vergentis. 10. h. t. Cap. accusatus. 8. cap. cum secundum. 19. eod. in 6. 3tia.* Inhabilitas testandi, & ex testamento vel ab intestato succedendi. *Cit. cap. excommunicamus. 4ta.* Exemptio à patria potestate, eo ipso enim quo parens fit hæreticus, filii desinunt esse in ejus potestate. *Cap. quicumque. 2. §. illorum. h. t. in 6. 5ta.* Amissio potestatis Dominicæ, sic Dominus factus hæreticus dominium in servos, & Dominus directus in Vassallum amittit. *Cap. absolutos. fin. h. t. 6ta.* Pœna Corporalis, Carceris vel mortis, pœnâ mortis plectuntur hæretici obstinati & impœnitentes, aut in hæresin relapsi vel verè vel fictione juris, ut quia hæresin abjurare jussi ad vomitum rediere, aut post abjuracionem unius hæresis in aliam inciderunt. *Cap. ad abolendam. 9. h. t. cap. ut commissi. 12. eod. in 6. L. Arrani. 5. §. seqq. C. de hæret.*

Quæres tertio: Quæ spirituales hæreticorum pœnæ?

ꝛ. Sequentes: 1ma. Excommunicatio Major Summo Pontifici reservata, quam omnes hæretici, iis credentes, eorum receptatores, defensores, fautores ipso facto incurrunt. *Cap. quicumque. 2. cap. cum Contumacia. 7. cap. accusatus. 8. h. t. in 6. 2da;* Irregularitas & inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica. *Cap. quicumque. cit. §. hæretici. cap. statutum. 15. h. t. in 6.*

Ffff 3

3tia.

3^{ia}. Privatio omnium Beneficiorum Ecclesiasticorum & dignitatum, siue ante, siue post hæresin obtentatum. *Cir. cap. in commissi.*

4^{ta}. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. *Cap. quicumque. 2. h. t. in 6.* ubi: qui hæreticos, credentes, receptatores, defensores vel fautores eorum scienter præsumperint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam excommunicationis Sententiæ subijciuntur, nec absolutionis beneficium merentur, nisi propriis manibus publicè extument & projiciant hujusmodi damnatorum corpora, dummodo ab aliorum fidelium Corporibus discerni valeant. *Cap. Sacris 12. §. unde de sepult.* ut autem hæ pœnæ incurrantur requiruntur sequentia, 1^{mo}: debet esse verus & formalis hæreticus, nec sufficit esse materialem, qui aliquid contra fidem etiam ex ignorantia vincibili asserit, si contra fidem esse nosset, corrigere paratus. 2^{do}. Eum hæresin suam verbis vel aliis externis signis manifestasse oportet. 3^{io}. Actus externus hæresin internam manifestans ex se, & non prout substat actui interno mortaliter malus esse debet. 4^{to}. Requiritur, ut hæresis interna exterius manifestata sit animo eam profitendi.

Quæres quarto: Qualiter hæreticus à Catholicis vitandus?

R. Quam; vis spirituales hæreticorum pœnæ in nostris partibus eisdem non censeantur remissæ, per hoc enim quod Lutherani & Calvinistæ per pacificationem Osnabrugensem à statu politico in Imperio tolerentur, non ideo

ab Ecclesia tolerati sunt, quæ in memoratam pacificationem, quatenus hæreticis favet, nunquam consensit, quin potius Innoc. X. pacem istam rescindere conatus fuit. Hæreticus tamen de Jure Canonico vitandus non est à Catholicis, nisi publicè fuerit denunciatus, juxta Constitutionem Martini V. in Concil. Constant. quæ incipit: *ad vitanda*. Ast de Jure naturæ & divino in frequentibus sunt vitandi casibus. 1^{mo}. Si ex communicatione apud Catholicos scandalum oriatur & offensio, vel nascatur suspicio, quod Catholici hæreticorum ritus, mores aut dogmata verbo, signo factive profiteantur. 2^{do}. Si ex communicatione in his rebus spirituale animæ periculum, videlicet perversionis in fide, aut Catholicæ religionis immineat contemptus. 3^{io}. Si Catholicus cum hæretico in crimine, ob quod excommunicatus fuit, habeat commercium.

Quæres quinto: quæ libros Hæreticorum legentium pœna?

R. Omnes illi qui Hæreticorum libros, hæresin continentes vel de Religione tractantes, absque Sedis Apostolicæ autoritate scienter legunt, aut eos retinent, ac eos imprimentes & quomodolibet defendentes excommunicationem Papæ reservatam incurrant; ad quam requiritur 1^{mo}: ut liber sit Authoris Hæretici, quia damnato Authore, liber quoque ejus & omnia scripta de Religione tractantia damnata censeantur. *Cap. fraternitatis. 4. h. t. 2^{do}.* Ut de Religione tractet, vel si de re alia agat, hæresin contineat. 3^{io}. Ut scien-

scienter legatur, defendatur, imprimatur aut detineatur. 4to. Et absque legitima Summi Pontificis facultate.

Quæres sexto: quis ab hæresi, eique annexa abolvere potest excommunicatione?

R. Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 6. concedit Episcopis ab occulto hæreseos crimine absolventi facultatem his verbis: *idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientie eis tantum, non eorum Vicarius sit permissum*. Germani Doctores sustinent, quod Germaniæ Episcopi, tamquam Sedis Apostolicæ delegati pro utroque foro absolventi habeant potestatem.

Quæres septimo: Quid est schisma?

R. Est nomen Græcum quod scissuram significat. *Can. schisma. 34. caus. 24. q. 1.* ut in præsentem locum est diviso, quâ quis ab unitate Ecclesiæ se separat, in quantum illa est corpus mysticum ex fidelibus tamquam membris, & summo Pontifice velut Capite constitutum, dicitur ab hæresi, quia tametsi omnis hæreticus sit schismaticus, eo quod sese ab Ecclesia Romana per dogma fallum separaverit. *Can. loquuntur. 18. Can. alienus est. 19. caus. 24. q. 1.* non tamen omnis schismaticus est hæreticus, si nimirum dogma contra fidem non sustineat. Hæresis ergo fidei & schisma soli opponitur unitati, quam charitas operatur. *Cir. Can. schisma.*

Quæres octavo: Quæ schismaticorum pœnæ?

R. Sequentes 1ma. Excommunicatio reservata in Bulla Cane. 2da. Or-

dinationes factæ à schismaticis quoad exercitium gradus collati sunt irritæ, nisi cum taliter ordinatis misericorditer fuerit dispensatum, vel ordinatus, se nescivisse ordinatorem fuisse schismaticum, probaverit. *Can. Ordinationes. 5. caus. 9. q. 1. cap. quod à predecessore. 1. Cap. fraternitati. 2. h. t.*

Quæres nono: Quid est Apostasia?

R. Apostasia græcè desertionem, & Apostata desertorem significat, in præsentem pro desertione vel à fide, vel statu Regulari aut Clericali accipitur. Prima dicitur Apostasia perfidiæ, de qua in *Cap. quidam. 4. de Apostat. 2da.* Apostasia inobedienciæ, cum quis à statu Religioso semel suscepto deficit. 3tia. Apostasia Clericatus, dum quis à statu Clericali ad matrimonium, militiam vel habitus dimissionem desinit.

Quæres decimo: Quis est Apostata à fide?

R. Ille qui à fide Christiana omnino deficiens ad Judæismum vel Paganismum transit. *Can. non potest. 24. caus. 2. q. 7. cap. contra Christianos. 13. h. t. in 6.* Et hoc inter Apostatam & hæreticum est discrimen, quod hic à fide non nisi in parte, ille vero in toto deficiat. potro pœnæ à fide apostatantium eadem sunt, quæ hæreticorum.

Quæres undecimo: Quæ pœnæ Apostatiæ ab Ordine Clericali?

R. Qui à statu Clericali seu Ordine Sacro ad conjugalem vel conversationem laicalem dimisso habitu & tonsura transeunt, eorum pœnæ sunt sequen-

quentes: 1^{ma}. Excommunicatio. 2^{da}. Infamia. 3^{ta}. Amissio Privilegii Clericalis. *Cap. 1. de Apostat. Cap. in audientia. 25. de sentent. excom. 4^{ta}. Si incorigibiles, carcer. Cap. à nobis 5. de Apostat. ut in illo pane doloris & aquâ angustia sustentetur. Cap. novimus. 27. de verb. significat.*

Quæres duodecimo: Quæ pœna Apostasiæ à Religione?

R. Apostata à Religione est, qui propriâ autoritate ordinem deserit, animo nunquam ad aliquem ordinem religiosum revertendi, per quas ultimas particulas apostata differt à fugitivo, qui quamvis sine Superioris licentia ordinem deserat, intentionem tamen habet, ad illud, quod deseruit, Monasterium, vel ad aliud redeundi. Perin-

de autem est, an habitum dimittat vel non, cum solus habitus Religiosum non faciat. Talis apostata pœnas incurrit sequentes: 1^{mo}; Si habitum dereliquit, per temerariam ejus depositionem, pœnam excommunicationis ipso facto incurrit. *Cap. ut periculosa. 2. ne Clerici vel Monachi. in 6. 2^{do}. Apprehensione corporali vel aliis mediis deficientibus, censuris Ecclesiasticis, ut ad Religionem redeat, est cogendus. Cap. quando. 7. de offic. ordinar. cap. si. de Regul. 3^{tio}. Religiosus in apostasia ordinatus, etsi postmodum redierit, ac pœnitentiam egerit, nunquam in suscepto taliter ordine ministrare permittitur, nisi Summus Pontifex cum eo dispensaverit. Cap. fin. de Apostat.*

TITULUS VI.

DE

Sortilegis, Maledicis & Sacrilegis.

Quæres primo: Quis est Sortilegus?

ꝛ. Qui sub fictæ Religionis nomine per quasdam, quas Sanctorum vel Apostolorum sortes appellant, divinatoriam profitentur scientiam, aut quarumcumque Scripturarum inspectione futura promittit. *Can. Sortilegi. un. caus. 26. q. 1.* Exemplo autem Jonæ & Matthiæ Apostoli non est credendum Sortibus, cum privilegia singu-

lorum non possint legem facere communem. *Can. non statim. 2. Can. non exemplo. 4. caus. 26. q. 2.* huc omnes reducuntur divinatores, sive per astrorum, sive per manuum, sive per aliarum rerum inspectionem, sive quocumque alio modo fiat divinatio.

Quæres secundo: Quotplex sint sortes?

ꝛ. Triplices. 1^{mo}. Divisoriarum, quarum eventus à solo casu pendet, ut cum

cum sortem velut iudicem facimus in litibus dirimendis, in bonis communibus dividendis, ut sciatur, quid cuique sit tribuendum, his per se nihil mali inest.

2do. Consultoria, quando divina voluntas per sortes consulitur, ut quid agendum, vel fugiendum sit, cognoscatur, quod licite fit quando cogit necessitas, ut in veteri ac novo Testamento exempla habemus, attamen in Electionibus Ecclesiasticis nec Prælatus, nec Compromissarii per sortes sunt eligendi propter Ecclesie prohibitionem expressam in *Cap. fin. h. t.*

3tio. Divinatoria, ex quarum inspectione futura prænantur, vel præsentia aut præterita occulta deteguntur, quod, quia sine tacito vel expresso cum dæmone pacto non fit, semper sunt prohibita. Exempla sunt in *Cap. 1. § 2. h. t.*

Quæres tertio: Quæ Sortilegiorum pœnæ?

R. Sortilegium est crimen mixti fori. Clerici ab omni ordine deponuntur, & beneficio officioque exuti ad perpetuo agendam pœnitentiam in Monasterium detruduntur. *Can. non oportet. 4. § seqq. caus. 26. q. 5. in cap. ex tuarum. 2 h. t.* hæc pœna ita mitigatur, ut Sortilegii reus per annum & amplius, si Episcopo visum fuerit, ab altaris Ministerio abstinere præcipiatur, & ex tunc liberum sit ei exercere officium Sacerdotis. De Jure civili Sortilegiorum, Ariolorum & similibus pœna est Capitalis. *L. nemo. §. C. de Maleficis & Maledicis.*

R. D. Schnorrenberg. *Instit. 7. Can.*

Quæres quarto: Quis est Maleficus?

R. Qui arte dæmonis aliis nocet, & dicitur Veneficus, Magus, Saga &c. Crimen hoc est atrocissimum, quia plerumque conjuncta sibi habet gravissima scelera, ut sunt Apostasia, Idololatria, hæresis, horrenda blasphemia, abusus Sacramentorum, homicidia, peccata contra naturam &c. ac infinita damna, quæ proximo in bonis fortunæ inferuntur. Hodie à solo Magistratu politico per rogum punitur.

Quæres quinto: quis est Maledicus?

R. Maledicus à maledicendo nomen habet, & est is, qui injuriosè loquitur contra Superiores, vel contra Deum, & tunc est blasphemia, vel contra homines ætate, moribus, scientia vel nobilitate cæteris præstantiores. *Cap. 1. § 2. de Maledic.*

Quæres sexto: Quotuplex est blasphemia?

R. Alia est in Deum, alia in Sanctos, quæ si sit cum respectu ad Deum, & quatenus Sancti sunt amici DEI, à blasphemia in DEUM specie non distinguitur. Alia est hæretica, alia simplex. Hæretica est, quæ assertivè aliquid Deo tribuit, quod ejus perfectioni repugnat, aut de creatura quid asserit, quod soli Deo proprium existit.

Quæres septimo: Quæ maledicorum pœnæ?

R. Maledicens homini pœnâ punitur arbitrariâ, Blasphemia in Deum & Sanctos est mixti fori. Si publice fiat, jure Canonico gravissimè punitur, secundum præscriptum *Cap. statumus. 2.*

G g g g de

de Maledic. aliæ pœnæ statutæ sunt in Conc. Later. sub Leone X. & à S. Pio V. innovatæ.

Quæres octavo: Quid est Sacrilegium?

R. Est violatio rei Sacræ, de qua in Cap. *quamultoties*. 7. de *Regulis. Juris*: *quidquid in sacratis DEO rebus injustè agitur, pro Sacrilegio reputatur.*

Quæres nono: Quotplex est Sacrilegium?

R. Dividitur in tres species, rei, loci & personæ. *Can. sicut*. 12. *caus.* 17. *q.* 4. quia non solum res sed etiam loca & personæ Deo consecratæ sunt, & sacrilegio violari possunt.

Quæres decimo: Quot modis committitur sacrilegium personale?

R. Persona vel per ordinationem, vel per professionem aut ingressum in religionem approbatam Deo consecrata violatur. 1mo. Per violentam & injuriosam manuum injectionem. *Can. si quis suadente* 29. *caus.* 17. *q.* 4. 2do. Per tractionem ad forum Sæculare. *Cap. si diligenti*. 12. de *foro competent.* 3tio. Per impositionem onerum personalium à potestate laica factam. *Cap. non minus*. 4. *cap. adversus*. 7. de *Immunit. Eccles.* 4to. Per actum venereum. *Can. Virginitatis*. 14. *caus.* 27. *q.* 2.

Quæres undecimo: quot modis fit sacrilegium locale?

R. Locus Deo consecratus violatur 1mo. Per rei, criminis non excepti, ad illum pro asylo co su ientis extractionem *Can. definitur* 35. *caus.* 17. *q.* 4. 2do. Per occisionem, injustam Sanguinis, & illicitam seminis effusionem, quibus Ecclesia polluitur, & antequam divina in illa rursus peragantur officia, ab Episcopo est reconcilianda. 3tio. Per exercitium actuum locum Sacrum decentium, ut si in eo Judicia celebrentur sæcularia, maxime pœnam Sanguinis concernentia, habeantur nundinæ, exerceantur ludi profani, &c.

Quæres duodecimo: quot modis Sacrilegium reale committitur?

R. Res Deo Sacræ, sunt Sacramenta, vasa sacra, bona temporalia ad Ecclesiam pertinentia, hæc violantur 1mo. si Sacramenta in statu disgratiæ, vel absque Cæremoniis ab Ecclesia præscriptis indecenter administrantur aut suscipiantur. 2do si vasa sacra, ad divinum deputata cultum, sine prævia confectione ad usus profanos convertantur. 3tio. Si bona temporalia ad Ecclesiam pertinentia, vel ejus Custodiæ credita furto auferantur vel injustè invadantur.



TITULUS VII.

DE

Homicidio Voluntario & Casuali.

Homicidium est ab homine facta hominis occisio. Si homo à bestia occidatur, non homicidium, sed pauperies appellatur de quo ff. Lib. 9. tit. 1. si quadrupes pauperiem &c. Variæ sunt homicidii species. *1mo.* Dividitur in Voluntarium, quod scienter & ex intentione committitur, & casuale, quod præter intentionem accidit.

2do. Voluntarium subdividitur in liberum, quod dolo malo libero occidendi animo perpetratur, & sequentes sub se continet species: homicidium *simplex*, quod in rixa temere ex subito iræ impetu orta, cum sufficienti tamen rationis advertentia contingit. Homicidium *premeditatum* quod sedato iræ calore deliberatè per mortis machinationem committitur. Homicidium *ex insidiis*, cum quis inimicum expectat, eumque ex improvise aggreditur. Homicidium *proditorium*, quo quis simulatà amicitia & propter hoc incautum interficit. *Veneficium*, cum quis venenum occidendi causa præparat vendit, propinat. *Assasinium*, nomen hoc derivatur à gentilibus quondam in Italia existentibus, qui, ut tendentes Romam occiderent, pretio conducebantur, significat homicidium

quod ab aliquo mercede ad hoc conducto ad alterius patratur mandatum. Homicidium necessarium, quod fit vel autoritate Superioris Jus gladii habentis, vel in bello justo tam offensivo quam defensivo, vel pro privata sui defensione, servato moderamine inculpatae tutelæ.

3tio. Homicidium casuale sub se culpabile & inculpabile comprehendit, culpabile quidem præter intentionem, interveniente tamen culpâ vel negligentia committitur, ut si quis rei licitæ dans operam suâ negligentia vel imperitia mortis causam præbeat, aut si quidem omnem diligentiam, ne quis læderetur, adhibuit, læsio tamen est secuta, dum dabat operam rei illicitæ. Homicidium casuale inculpabile est, quod nullo dolo aut culpâ interveniente, casu inopinato accidit.

Ad homicidium reducitur mutilatio, per quam homini membrum quoddam, id est, talis pars corporis, quæ distinctum in corpore humano obtinet officium, ut manus, pes, oculus &c. auferatur.

Quæres primo: Quæ pœna homicidii?

R. De Jure Civili est pœna Capitis, quæ si fuerit homicidium proditorium,

Gggg 2

vel

vel ex insidiis, vel per venenum, vel per assassinium aut latrocinium, exasperatur & gladius in rotam vel rogam commutatur. De Jure Canonico præter pœnitentiam publicam pro circumstantiarum diversitate graviolem vel mitiorem juxta *Cap. sicut dignum. 6. de homicid. 1mo.* Irregularitatem inducit. *Can. miror. 4. dist. 50. Cap. suscepimus. 10. cap. de cetero. 11. cap. significasti 18. de homicid. Trident. sess. 14. de Reform. cap. 7. & sess. 24. de Reform. cap. 6. 2do.* qui ex insidiis, proditoriè, per assassinium nihil tale suspicantem occidit, confugiens ad locum sacrum, non gaudet asyli privilegio. *Cap. 1. h. t. & Trident. cit. sess. 14. de Reform. cap. 7.* ubi talis homicida ab Altari dicitur evellendus, ut moriatur.

Quæres secundo: quinam ex homicidio injusto directè voluntario irregularitatem incurrunt?

1. *1mo.* Non solum qui natum occidit hominem, sed etiam qui fœtu animato procurat abortum, fit irregularis. *Cap. sicut. 20. h. t. Dixi: fœtu animato,* licet enim ante animationem fœtus procurans abortum virtualiter sit homicida, cum generationem hominis impediatur, uti etiam sunt illi, qui per maleficia conjuges reddunt impotentes, aut per sterilitatis venena humani generis impediunt propagationem. *Cap. si aliquis. 5. h. t.* irregularitate tamen non afficiuntur, quia hæc non contrahitur, nisi actu fœtus jam animâ informatus interficiatur. *Cit. cap. sicut. & Glossa in cit. cap. si aliquis. verb. ut homicida.*

2do. Qui aliquem lethaliter percus-

fit, et si ab aliis supervenientibus fuerit examinatus, irregularis est, si vulnens sufficientem dederit mortis causam, vel si animo occidendi percusserit, aut si per suam percussione causa sit, quod alii interfecerint, aut quamvis de his non constet, fit tamen dubium, an ex ictu prius percussoris, an vero ex posteriori percussione sit mors subsequuta. Est casus notabilis in *Cap. significasti. 18. h. t. de Sacerdote,* qui furem in Ecclesia percusserat, quem alii supervenientes interfecerunt.

3tio. Irregularitatem incurrit, qui aliquem occidi mandat, si mandatum efficax, & ex vi mandati occisio fiat, & non tantum, qui directè & expresse occisionem imperat, eâ subsequuta, sed etiam is, qui aliquem verberari mandat, licet expresse caverit ne occidatur, vel membro mutiletur, si mandatarii, mandati fines excedentes, mutilaverint vel occiderint, irregularitatis impedimento constringitur. *Cap. is qui mandat. 3. h. t. in 6.* ubi ratio additur; quia mandando in culpa fuit, & hoc evenire posse, debuit cogitare. Quod D. D. extendunt ad casum, quo non percussus, sed Mandatarius percussus interficitur, quia eodem modo occisio Mandatarii à percusso facta est mandanti indirectè voluntaria, cum cogitare potuerit, quod mors Mandatarii ex mandati executione sequi non raro contingeret, ob defensionem propriam percussis.

4to. Qui in homicidium, quod suo nomine vel ad vindicandum perficitur consentientem, præbet consensum, irregularis efficitur: quia nisi sese invitum

etc.

esse contestetur, ad interfectionem moraliter cooperari censetur. Secus est de eo, qui homicidium suo quidem nomine, sed se in seio jam ante factum, ratificat, quamvis enim juxta *Regulam juris* 10. in 6. ratihabitio retrahatur & mandato equiparetur quoad culpam, non tamen quoad juris pœnas, nisi id exprimat. Exemplum ejus, qui occisionem in sui gratiam factam prohibuit, est in *Cap. Petrus. 17. h. t.* ubi iniquè spoliatus beneficio, ab irregularitate ob occisionem spoliatoris ab amicis & consanguineis prohibente spoliato factam, excusatur: Cum non debeat alicui imputari, quod contra expressam ejus prohibitionem, eo causam vel occasionem non dante, ab ipso consanguineis fuit attentatum. Ex quo textu à sensu contrario Canonistæ inferunt, quod si Dominus v. g. per rixam inceptam famulis occasionem dedit, ut corrivantem occiderent vel mutilarent, irregularitatem incurrat, quia occisioni causam vel occasionem dedit.

510. Qui Consilium pro homicidio vel mutilatione dedit, irregularis est, si secutus vi & influxu Consilii effectus, utpote quia is, cui consilium datum, alioquin non erat, vel non tam cito, tam animosè aut crudeliter occisurus. *Can. perniciosè. 23. de poenit. dist. 1. can. si quis viduam. 8. dist. 60. cap. Henricus. 2. de cleric. pugnans.*

610. Qui ad homicidium opem auxiliūve præstant irregulares efficiuntur. Est expressum in *Cap. sicut dignum. 6. §. illi etiam. h. t.* ubi dicitur rei homicidii patrati in persona S. Thomæ Marty-

ris Archi: Episcopi Cantuariensis in Anglia, non tantum illi, qui venerunt animo occidendi, ferendi &c. sed etiam qui venerunt, non ut ferirent, sed ut opem percussoribus ferrent, si forte per aliorum violentiam impedirentur, sicut & illi, qui licet fuerint homicidii ignari, iis tamen, quos sicarios esse sciebat, in sarcinis vel rebus eorum custodiendis ministerium præbuerunt.

710. Qui homicidium ex justitia impedire tenentur, ut Dominus servi, & è contra, Judex subditi &c. Si id absque gravi suo incommodo possint, & non impediant, rei sunt homicidii & irregulares, tunc enim per solam omissionem concurrunt ad injuriosam occisionem, secus est si ex sola charitatis lege impedire obligabantur.

Quæres secundo: An ex homicidio involuntario & inculpabili oriatur irregularitas?

81. Si furiosus, infans aut dormiens aliquem occidat, vel mutilet, non sit irregularis. *Clement. un. h. t.* Idem est in plenè ebrio, nisi talibus homicidium indirectè sit voluntarium, ut si quis sciat, quod in ebrietate digladiare, in furore arma arripere, in somno surgere aliisq; nocere consueverit, si enim tunc ante omnium, furorem aut ebrietatem sufficientem cautionem non adhibeat, ne occidat aut mutilet, homicidium vel mutilatio secuta indirectè est voluntaria, ac proinde irregularitatem inducit.

Quæres tertio: An & quando ex homicidio casuali ad opus litium secuto oriatur irregularitas?

Gggg 3 81. Si

¶ Si dans operam rei licitæ ad vitandum læsionis periculum, debitam adhibuit diligentiam, secuto casuali homicidio, nullam incurrit irregularitatem. *Cap. lator. 9. cap. dilectus. 13. cap. ex literis 15. cap. significasti. 16. cap. exhibita. 22. cap. Joannes. 23. cap. fin. h. t.* Si verò culpa vel negligentia in præcavenda ulterius læsione intervenit, irregularitatis contrahitur impedimentum. *Cap. Presbyterum. 7. Cap. continebatur. 8. h. t.* Advertendum tamen quod ob solam culpam juridicam irregularitas non incurritur, sed culpa Theologica, & quidem gravis requiritur, cum irregularitas, quæ ex homicidio justo contrahitur, sit pœna gravis.

Quæres quarto: An in dubio commissi homicidii quis irregularis censendus?

¶ Ad minus in dubio facti, videlicet quando certum est, quod homicidium vel mutilationem committens irregularitatem incurrat, sed dubitatur, an ego hic & nunc homicidium perpetraverim, in hoc inquam casu certum est, quod dubitans tam pro foro inquam externo se tanquam irregularem gerere debeat. Est textus clarus in *cap. ad audientiam. 12. h. t.* quia in dubio tutior pars est eligenda. *Cap. significasti. 18. h. t.* cum in hoc casu cessare sit tutius quam temere celebrare. *Cap. petitio. 29. h. t.*

Quæres quinto: Qualiter ex homicidio casuali ad opus illicitum secuto incurritur irregularitas?

¶ Qui dat operam rei illicitæ, ad

minus si illa ad mortem vel læsionem inferendam de se apta sit & ordinata, ideoque propter homicidii periculum specialiter prohibita, si casualiter occidat, licet omnem, ne occisio lequere-tur, adhibuerit diligentiam, incurritur irregularitas. *Cap. tna. nos. 19. h. t.* ubi Religiosus artis chirurgicæ peritus, contra status Religiosi decentiam infirmæ incisionem fecerat, quæ non ex culpa vel negligentia incidentis, sed ex propria incuria ob incisionem est mortua, & tamen irregularis declaratur. Simile est in *Cap. sicut. 20. h. t.* ubi religiosus contra suam decentiam cum muliere jocosum habuit, quæ exinde abortum est passa, qua de causa Religiosus ille irregularis pronuntiatur.

Quæres sexto: An homicidium quod ad justam sui sit defensionem irregularitatem inducat?

¶ Qui aggressorem ob necessariam sui corporis & vitæ, vel propriæ, vel suorum defensionem occidit aut mutilat, dummodo moderamen inculpatæ tutelæ servaverit, non fit irregularis. *Clement. un. h. t.* Ratio est: quia defensio est juris naturalis & ipsa natura etiam brutis contra aggressorem indidit defensionem, Additur: *Si moderamen inculpatæ tutela servaverit*; nam si in moderamine excessus committitur, irregularitas incurritur. Patet ex *Trid. Sess. 14. de Reform. cap. 7.* ubi disponitur qualiter in irregularitate ex occasione in sui defensionem contractâ dispensandum.

Quæres primo: Quid requiritur, ut in defensione occisiva moderamen inculpatæ tutelæ servetur? ¶ Præ-

Præcipuè tres requiruntur conditiones. *1^a.* Actualis vel physicè vel moraliter invasio aut aggressio esse debet, non enim necessarium est, quod primum ictum expectet invadendus, sed si aggressorem jam ad invadendum videat esse paratum, quem aliter effugere nequit, eum salvo moderamine inculpatae tutelae prævenire potest. *2^{da}.* Requiritur, ut aggressio alio mitiori modo v. g. Clamore fugâ &c. averti non possit: quia dicitur in *cit. Clement. un.* mortem aliter evitare non valens occidendo in vasorem irregularitatem non incurrit. *3^{ia}.* Invasus majori vi, quàm sit opus, injuriam repellere non debet, ideoque si mutilare aggressorem sufficiat, ut ab aggressione desistat, occidi non debet, si baculo repelli potest, non est gladio invadendus.

Quæres *octavo*: An alias res temporales ut honorem, famam, bona fortunæ citra irregularitatis periculum occisivâ liceat tueri defensione?

R. *Negative*: cum *cit. Clement. un.* dicatur: qui mortem aliter vitare non valens suum occidit vel mutilat in vasorem. Et ratio est: quia cum pro pecunia aufertur vita, moderamen inculpatae tutelae non servatur, majus enim damnum inferitur in vasori, quam ille volebat inferre in vaso. Jura pro hac doctrina, ut videtur probabiliori sunt in *cap. interfecisti. 2. cap. perfodiens. 3. Cap. suscepimus. 10. h. t.* quoniam expedit potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus rebus & transitoriis tam acriter in alios exardescere.

Quæres *nono*: An ex homicidio auctoritate publica factò irregularitas oriatur.

R. Judex, Advocatus Fisci, non rei, Acculator, Assessor, Notarius, & omnes qui ad sententiam sanguinis ejusve executionem, & licitor, milites ducentes ad supplicium, concurrunt non ex delicto, sed ex defectu lenitatis irregulares efficiuntur: quia visum est Ecclesiæ, quod, qui voluntariè extra casum propriæ defensionis hominem licet justè mulitant vel occidunt, non satis CHRITI repræsentent mansuetudinem, qui velut Agnus innocens in Altari DEO Patti offertur, ideoque omnes sanguine maculatos ab ordinum susceptione & susceptorum arcet executione. *Cit. Cap. suscepimus. cap. Clericus. 5. cap. sententiam. 9. ne Clerici vel Monachi. Cap. in Archi-Episcopatu. 4. de Raptor.*

Quæres *decimo*: quando Clericus ad pœnam capitis vel mutilationis concurrens ab irregularitate excusetur?

R. In casibus sequentibus. *Primo.* Prælatus vel Collegium Ecclesiasticum in territorio temporalem meri vel mixti imperii habens jurisdictionem absque irregularitatis periculo jurisdictionem delegat, mandando, ut Officialis suus veritate inquisitâ justitiam exequatur. *Cap. Episcop. 3. ne Cler. vel Monach. in 6.*

2do. Prælati Ecclesiastici, qui Clericum propter enorme delictum degradatum Curia seculari extradunt, irregularitatem non incurrunt, pro reo tamen, ut Curia secularis, citra mortis periculum, sententiam moderetur, ab ipsis

ipsis efficaciter est intercedendum. *Cap. novimus. 27. de V. S.*

310. Clericus à Laico damnificatus absque irregularitatis metu malefactorem coram Iudice laico pro suo interesse civiliter convenire potest, quamvis Iudex sæcularis ex hoc malefactorem pœnâ sanguinis puniendi accipiat occasionem. *Cap. postulasti. 21. h. t.* Si tamen tale foret crimen, cui sanguinis debetur pœna, Clericum damnificatum Iudicis officium implorantem expresse protestari oportet, quod sanguinis effusionem non intendat, etiamsi eam ex post, justitia sic exigente, sequi contigerit. *Cap. Prælati 2. h. t. in 6.*

410. Clericus non fit irregularis, qui à Iudice sæculari interpellatus commissi delicti dat signa, est exemplum notabile in *cap. tua. 19. §. ad ultimum h. t.* ubi Clericus à fure nocturno vulneratus ad requisitionem Iudicis, cultrum & crepidas, quæ in domo vulnerati prædo reliquerat, extradidit: quia talis non est propinqua mortis causa, cum nec acculator, nec testis existat.

510. Quamvis clericalem statum deceat, quod Clericus executioni sententiæ capitalis interfit, extra casum, quo pro spiritali, solatio assistit, attamen corporaliter præsens spectansque executionem irregularis non efficitur, nisi autoritate suâ vel consilio ad executionem concurrat. *Cap. ex litteris. 10. de excess. Prælat.*

Quæres undecimo: An & qualiter milites irregularitatem incurrant?

R. 1^{mo}. In bello injusto omnes, qui quaecumque ferunt auxilium, sive arma præbendo, ad pugnam adhortando, sarcinas custodiendo, vel alio quovis modo adjuvando, etiamsi ex propriis manibus non occiderint, sunt irregulares, si vel unus homo in tali bello fuerit interfectus. *Can. si quis. 4. dist. 51. cap. sicut dignum. 6. h. t. cap. quod in dubiis. 5. de pœn.*

2^{do}. Si bellum sit justum, tunc vel est purè defensivum, ut in casu necessitatis hostibus irruentibus, cum Laici ad vim repellendam sufficientes non sint, Clerici arma capiunt & occidunt, hi necessarii defensores irregularitatem non incurunt; si enim in privata defensione irregularitatis absit periculum multo magis in necessaria Reip. & communis boni defensione aberit. Si bellum non est purè defensivum, irregularitatem contrahunt illi, qui aliquem propriâ manu occidunt, aut in conflictu feriunt, ita, ut sciri non possit, an quem occiderint. *Cap. petitio. 24. h. t. cap. presentium. 3. Cap. continentia. 4. de cler. percuss.* Sicut enim qui malefactorem autoritate publicâ occidit, ex defectu mansuetudinis irregularis efficitur, ita etiam ille, qui in bello licet iusto hostem Reipub. invadit

Quæres duodecimo: Quis in irregularitate ex homicidio ortâ dispensandi habet facultatem?

R. Si irregularitas ex homicidio injusto directè voluntario orta, sive publicum, sive occultum fuerit, solus Summus Pontifex dispensat, si autem provenerit ex homicidio casuali, culpa

pâ interveniente, aut ex homicidio defensivo, in quo in moderamine inculpatæ tutelæ fuit excessum, dispensationis beneficium ab Episcopo obtineri potest. *Trident. Sess. 14. de Reform. cap. 7.* ibid. qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri, sed omni ordine ac beneficio & officio Ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à mor-

te defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum & Altaris Ministerium, & beneficia quæcunque ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniore Episcopo, qui non nisi causa cognitâ & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit. Et *Sess. 24. de Ref. cap. 6.* liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus, ex delicto occulto provenientius exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.

TITULUS VIII.

DE

Adulteriis & Stupro.

Adulterium est injusta alieni thori, seu fidei in matrimonio datæ violatio. Aliud est simplex, quod vel à conjugato cum soluta, vel à conjugata cum soluto committitur; aliud est duplex, quod à marito cum alterius uxore perpetratur. Circa Adulterium hæc est Juris Canonici à Civili differentia, quod de Jure Civili ad violationem thori, ex qua prolis incertitudo oritur, maximè attendatur, idèoque secundum Jus civile solum propriè est Adulterium, si uxor conjugata cum alio sive soluto sive conjugato carnaliter peccet. Jus vero Canonicum fidei
R. D. Schnorrenberg. Instit. 7. Can.

in contractu Matrimoniali præstitæ violationem potissimum considerat, ut ita propriè sit adulterium, sive conjugatus cum soluta, sive cum conjugata peccet, & in pœnis & jure accusandi maritus & uxor pares sunt, quicumque fidem violârunt matrimonialem.

Stuprum est violatio vel corruptio Virginis aut Viduæ honestè viventis. Aliud est violentum, quod infertur invitæ, aliud voluntarium, cum consentiente commissum.

Quæres primo: quinam ad accusandum adulterium admittuntur?

æ. Ante quos vis alios uxorem de
H h h Adul-

Adulterio accusare potest maritus. *L. ex lege. 2. §. si simul. ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* quod per Jus Canonicum extenditur ad uxorem, quæ virum adulterum accusare potest, alios omnes excludendo. 2do. Marito non accusante, adulteræ parens admittitur. *Cir. L. ex lege.* post patrem reliqui cognati, non accusantibus propinquis quilibet extraneus: quia adulterium est crimen publicum, cum publico intersit ut hoc scelus vindicetur.

Quæres secundo: Coram quo Juce de adulterio instituenda accusatio?

Re. Vel contra Adulterium criminaliter ad pœnam Sanguinis agitur, & tunc solus Juce Sæcularis cognoscere potest, vel ad pœnam mitiorem, & tunc adulterium est mixti fori, idcoque tam Juce Ecclesiasticus *Cap. 1. de off. Ord.* quam Sæcularis per *Cap. tua. 5. de procurat.* de eo cognoscit. Vel denique agitur civiliter in ordine ad divortium, & accessoriè ad amissionem dotis, & hoc casu solus Juce Ecclesiasticus de Adulterio cognoscit. *Cap. 1. ut lite non contest.* *cap. de prudentia. 3. de donat. inter vir. & uxor.*

Quæres tertio: qualiter adulterium est probandum?

Re. Adulterium est unum ex illis delictis quæ propter suam obcuritatem, sicut cætera opera tenebrarum, non directè, sed solis præsumptionibus & conjecturis probari possunt; hinc ad condemnationem de adulterio sufficit, si per violentam probatum fuerit suspicionem, *Cap. maritis. 4. de Adulter. cap. litteris. 12. de Presumpt.* vel per judicia-

lem confessionem, quæ plenè contra adulterum consentem, non tamen contra alteram partem probat. Exemplum est in *Cap. significasti. 5. de Adulter.* ubi ob solam mulieris confessionem, quod cum Sacerdote peccavit, dicitur: quod Sacerdos puniri non possit, tum quia mulier est, *Cap. form. 10. de V. S.* tum quia complex & socia criminis, cum de reatu proprio consentis periculosa confessio non sit contra quemlibet admittenda. *Cap. 1. de confess.* tum quia est unicus testis. *Cap. licet universis 23. de testib.*

Quæres quarto: quæ pœnæ Adulterii?

Re. Aliæ sunt publicæ, aliæ privatæ. Pœna publica de jure Civili antiquitus erat gladii supplicium. *L. quamvis. 30. Cod. ad Leg. Jul. de adulter.* idque conformiter Juri divino Legis veteris. *Levit. 20. & Deuter. 22.* hodie adulteria mitius puniuntur. De Jure Canonico Laici in adulterio perseverantes excommunicantur *Cap. intelleximus. 6. de Adulter.* Mulieres adulteræ Monasterio ad agendam perpetuo pœnitentiam includuntur. *Cap. gaudeamus. 19. de convers. conjug.* Clerici adulteri deponuntur & in Monasterium toto vitæ suæ tempore detruduntur. *Can. si quis clericus. 10. & seqq. dist. 81. cap. cum non ab homine 10. de Jud.*

Pœnæ privatæ sunt: 1ma Pater adulterum cum filia in sua potestate constitutâ deprehendens impunè occidit. *L. quod ait Lex. 23. ff. ad Leg. Jul. de adulter.* Maritus adulterum cum uxore repperit impunè necat. *L. maritum. 24. ff. ibidem.*

ibidem. imo si maritus aliquem suspectum habens, eundem ter in scriptis, tribus testibus presentibus monuerit, ut à frequentatione suæ domus abstinereat, & postea in domo sua cum uxore inveniatur, impunè interficit. *Authent. si quis. C. ad Leg. Jul. de adulter.* hæc quidem per Jus Canonicum correctæ noscuntur, si tamen maritus Clericum in adulterio deprehensum percutiat, excommunicationem non incurrit. *Cap. si vero. 3. de Sentent. excomm.*

2da. Divortium & juris debitum exigendi amissio, inter quæ hæc assignatur differentia. Quod divortium auctoritate judicis Ecclesiastici pronuntiari debeat. *Cap. porro. 3. de divorz.* debitum autem Matrimoniale propriâ auctoritate conjux innocens adultero occulto, quem talem novit, negare potest.

3tia. Dotis aut donationis propter nuptias amissio. *Cap. plerumque. 4. de donat. inter vir. & uxor.* præterea liberis non existentibus ex bonis adulteræ viro innocenti tanta debetur portio, quanta est tertia pars dotis. *Novell. 117. cap. 8.* E contra uxor innocens, præter lucrum donationis propter nuptias, ex bonis mariti tantum recipit, quantum tertia pars donationis propter nuptias esse cognoscitur.

4ta. Si proles ex adulterio secuta, est obligatio restituendi tam in adultero, quam in adultera omne damnum ratione alimentorum, dotis &c. vel liberis legitimis ratione diminutionis Legitimæ vel hereditatis causatum.

Quæres quinto: quæ causæ à pœnis adulterii excusant?

1. Sequentes. 1mo. A privata adulterii pœna excusat compensatio, si enim altera pars adulterium ante commiserit, vel post committat, delicta mutuâ compensatione delentur. *Cap. significasti. 4. de divorz. cap. intelleximus. 6. cap. fin. de Adulter.* 2do. si uxor ab adultero violenter oppressa, vel materiale commisit adulterium, non sciens, quod suus non esset. 3tio. Si uxor marito consentiente adulterata est. Cum adulterium ei non possit objicere qui eam adulterandam tradidit. *Cap. discretionem. 6. de eo qui cognovit.* 4to. Si maritus cognito adulterio, adulteræ sit reconciliatus. *arg. cap. quemadmodum. 25. de Jurejur.* 5to. Si contra Crimen adulterii præscriptum per elapsum quinquennium à die commissi criminis computandum. *L. adulter. §. c. ad Leg. Jul. de adulter.*

Quæres sexto: Quæ pœna stupri?

1. De Jure Civili stuprum vi illatum pœnâ gladii punitur, juxta constitutum. *pœnal. Caroli V. art. 119.* stuprum vero, in quo non intercessit vis, mitiori pœnâ plectitur. De Jure Canonico deflorator defloratam dotare & ducere tenetur, quod si facere renuat corporaliter castigatus, excommunicatusque in Monasterium, in quo agat pœnitentiam, est detrudendus. *Cap. 1. & 2. h. t.*

Quæres septimo: An qui cum consentiente stuprum commisit, ad reparationem teneatur?

1. Qui virginem ultro consentientem corrumpit, nec defloratæ nec parentibus ejus ad aliquam in conscientia tenetur reparationem, nulla enim in-

H h h h 2 ter-

tervenit injuria, cum corrupta in sui liberè confenserit corruptionem, quamvis de Jure Civili qui pretium pro comperto stupro accepit, pœnâ Legis Juliae de Adulteriis teneatur. *L. de crimine. 10. C. ad Leg. Jul. de adulter.*

Quæres octavo: ad quam satisfactionem tenetur corruptor, si dolo vel minus virginem seduxerit, sed crimen occultum, aut seducta mortua sit?

ꝛ. Neque tunc in Conscientia ad aliquam satisfactionem obligatur: quia revera nulla damnificatio est secuta, cum integritas corporis sit irreparabilis & incompensabilis, nec propter corruptionem, quamdiu occulta manet, à condigno rejiciatur Matrimonio.

Quæres nono: Ad quid in foro conscientiae virginem seducens obligatur, si corruptio publicetur?

ꝛ. Tenetur ad omnis damni compensationem, quæ vel per dotationem sufficientem, vel per matrimonium cum illa initum præstatur. Ad neutrum tamen determinatè obligatur cum in alternativis debitoris sit electio, & sufficiat alterum adimpleri. *Reg. Jur. 70. in 6.*

Quæres decimo: Quid si seducta ducere nolit seductorem?

ꝛ. Nisi sub promissione Matrimonii seduxerit, dotem augere debet, ut cui vult, competenter nubere valeat, uti poterat ante seductionem.

Quæres undecimo: Quid si sub promissione vera vel ficta Matrimonii seduxerit?

ꝛ. Seductam determinatè ducere debet, si ipsa velit, nec sufficit, si pecuniâ pro damno per stuprum illato satisfacere velit. Justitia exigit non tantum, quia ut reddatur æquale, sed etiâ ut idè in specie præstetur, quod est promissum, si præstabile sit; quamvis autem promissio facta ex se non obliget, obligat tamen ex consequenti, quia fictè promittens sub conditione onerosâ, onere ab altera parte impleto, veram promissionem facere, illamque exequi tenetur. Solet hæc addi limitatio, nisi vir promittens fictè, fœminæ conditionem notabiliter excederet, tunc enim illa hunc sciens excessum, facilè suspicari poterit promissionem fieri fictè.

Quæres duodecimo. Ad quid tenetur adolescens, qui voto castitatis adstrictus, vel alteri personæ desponsatus, honestam filiam sub promissione Matrimonii seducit?

ꝛ. 1mo. Corruptam petita & obtentâ in voto dispensatione ducere tenetur, cum votum implere nequeat sine gravi damnificatione corruptæ, quæ dum corrumpebatur, voti ignara fuisse supponitur.

ꝛ. 2do. Primam ducere & secundam dotare tenetur, cum prima ex sponsalibus Jus habere noscatur, quæ tamen, si nullum aliud inde damnum patiatur, sponsalibus ex Charitate renuntiare tenetur, ut secunda honestum ineat matrimonium, & proles forsitan secuta legitimetur.

TITULUS IX.

D E

*Raptoribus, Incendiariis, Violatoribus Ecclesiarum
& de Furtis.*

DElicta, quibus proximus in bonis fortunæ damnificatur, sunt: Rapina, incendium, Sacrilegium sive violatio Ecclesiarum & furtum. De his

Quæres primo: Quid est furtum?

2. De Jure Civili est contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionisve. L. 1. §. furtum. ff. de furtis. Clarius S. Thom. 2. 2. q. 66. a. 3. occulta acceptio rei aliënæ invito domino. Dicitur 1mo. Occulta acceptio, sive translatio rei de loco ad locum animo sibi appropriandi vel dominium vel usum, vel possessionem, Domino rei aut usûs invito. Ex hac definitione sequitur furtum esse 1mo: si creditor re sibi oppignoratâ, & depositarius deposito utatur. L. si pignore. 24. ff. de furtis. Modo tamen depositum sit signatum. 2do. Si Commodatarius re commodata ad alium usum vel modum, quam commodata sit, utatur. L. qui re. 76. ff. de furt. vel si rem sibi commodatam absque voluntate Domini commodaverit. 3tio. Qui rem alienam aut in publico aut in privato loco invenit jacentem, & eam lucri causâ sustulit, fur est, non autem,

si eam Domino, vel ei qui suam esse ostenderit, animo restituendi acceperit. L. falsus. 43. §. qui alienum. ff. de furt. 4to. Qui mandat vel Consilium ad furtum suggerit, vel ex furto scienter participat, vel fures aut res furtivas recipit, vel eas Domino quærenti occultat, sunt furti complices. Cap. qui cum fure. 4. de furtis. §. 4. & 11. Institut. de oblig. qua ex delict. 5to. Si filiusfamilias rem patris, uxor rem mariti, aut communem, Servus rem Domini, socius contra leges rem societatis eripiat, furtum committunt. L. servi 17. & L. si Socius. 45. ff. de furt. L. eos qui. 14. Cod. eod. tit. quamvis fures domestici non tam severè puniantur, & inter personas proximè conjunctas, non furti, sed loco illius rerum amotarum detur actio. L. Divortii. 2. C. Rerum amotarum. 6to. Dominus rem propriam auferens, reus est furti, si ejusdem rei usus vel usufructus aut detentio ad alterum pertinebat, ut si res erat Creditori oppignorata. L. creditoris. 15. L. si debitor. 79. de furt. 7mo. etiam ille furti reus est, qui ob necessitatem famis vel paupertatis rem aufert alienam. Cap. si quis. 3. de furt. dummodo necessitas non fuerit

Hhhh 3 rit

rit extrema, in ea enim usus rei alienæ jure naturæ est communis. *Can. non satis. 14. can. pasce. 21. dist. 86. arg. can. discipulos. 26. de consecr. dist. 5.*

Quæres secundo: Quæ furti pœna?

3. 1mo. Pœnæ civiles sunt: ob furtum manifestum cogitur fur præter rem furto ablatam reddere quadruplum, ob furtum non manifestum duplum, & ad hoc merè pœnalis furti datur actio. §. pœnam. §. fin. *Instit. de obligat. qua ex delict. &c.* deinde fur rem ablatam cum omni interesse restituere tenetur, & ad hoc competit Domino rei ablatæ, & ei, cui furtum non esse factum interest, rei vindicatio non solum adversus furem, sed etiam contra quemcumque rei furtivæ possessorem. *Cit. §. fin.* præter actionem rei vindicatoriam habet Dominus rei furtivæ conditionem furtivam ad restitutionem rei ablatæ, si extet, vel æstimationem, si haberi nequeat, & omne interesse adversus furem omnèque ejusdem complices, & quidem adversus singulos in solidum, præterea contra quoscunque hæredes furis, non modò in id, quod ad eos ex defuncti delicto pervenit, sed in solidum, licet non possideant. *Cit. §. fin. Institur.*

2do. Pœna Criminalis propter furtum, si sit magnum vel sæpius iteratum, aut periculosum, quia cum effractionem vel armis factum. *Juxta constitut. crim. Carol. V.* est pœna Capitis.

3tio. Pœna Canonica in Clericos furti condemnatos est ab officio & ordine depositio. *Can. Presbyter. 12. dist. 81. & infamia, can. infames. 17. caus. 6. q. 1. cap. fin. de furs.*

Quæres tertio: Quæ furti species? 3. Sequentes: 1mo. Sacrilegium, quod fit tribus modis. 1mo, auferendo rem sacram de loco sacro. 2tio. Auferendo rem sacram de loco non sacro. 3o. Auferendo rem non sacram de loco sacro, cujus custodiæ concredita erat. *can. quisquis. 21. caus. 17. q. 4.* hoc crimen est mixti fori ita ut laicus Sacrilegus à Judice Ecclesiastico puniri valeat. *Cap. conquestus. 17. de for. competent.*

2do. Plagium, si liber homo furripiatur vel abducatur, vel servus alienus occultetur, aut detineatur. De quo in *cap. 1. de furs.*

3tio. Abigeatus, dum quis dolo malo de grege vel armento ex stabulo aut pascuis pecora deprædatur & abducit.

4to. Peculatus, quo pecunia vel res ad ærarium Reipub. pertinentes ab eo, cujus fidei & periculo commissæ non sunt, furripiuntur.

5to. Crimen de residuis, quando pecunia publica ad certum Reipub. usum destinata ab eo, cujus fidei & periculo est concredita, retinetur vel in proprium usum convertitur.

6to. Crimen expilatæ hæreditatis, quando ante hæreditatem aditam vel nondum possessam res mobilis ad hæreditatem pertinens auferitur.

7mo. Sepulchri violatio, dum lapides sepulchrales aliaque monumenta auferuntur, aut cadavera sepulcorum effodiuntur & spoliuntur.

8vo. Terminî amotio, quando quis dolo malo terminos vel lapides limitaneos eruit, auferit aut transponit, vel solum ut alteri noceat, vel ut, quod fundo vicino detrahit, suo adjiciat.

Quæ

Quæres quarto: Quid est rapina?

Re. Est contrectatio rei alienæ mobilis, in quo convenit cum furto; sicut enim hoc sine translatione rei de loco ad locum non committitur, ita nec rapina absque tali contrectatione fieri potest. Deinde est contrectatio dolosa; quia rem alienam rapiens, quam putat esse suam, sive juris sive facti sit error, à rapinæ delicto excusatur. Denique est violenta rei alienæ contrectatio, in quo distinguitur à furto, cum rapina, præter furti injustitiam, quâ proximi bona læduntur, realem importet contumeliam, lædens proximi personam & honorem, eidem vim & violentiam inferendo, ideoque rapina Clerico facta, Canonis. *si quis suadente excommunicationem inducit.*

Quæres quinto: Quæ Raptorum pœnæ?

Re. Rapinam passus contra raptorem civilem vel criminalem institueri potest actionem. 1mo Raptor actione civili intra annum utilem conventus in quadruplum, post annum in simplum condemnatur. 2do. Actione criminali contra raptorem, institutâ, rapina cum tumultu & armis facta pœnâ capitis punitur.

De Jure Canonico raptores excommunicationis feriuntur sententiâ. *Cap. 1. 2. & 3. de Raptor. ex Bulla cœnæ Raptores sive pyrata in mari, Ecclesiæ Romanæ rapinas agentes, & bona Christianorum naufragantium vel in mari vel in litore inventa surripientes, aut scienter sibi ipsis accipientes, aut ab aliis rapta recipientes Summo Pontifici*

reservatam incurrunt excommunicationem.

Quæres sexto: Quæ delicta ad rapinam referuntur?

Re. 1mo. Latrocinium, quo homo ab homine spe prædæ occiditur, hujus sceleris pœna juxta *constitut. Crimin. Carol. V. art. 130. & 137.* est rota. 2do. Vis, quæ vel privata, vel publica est, privata sine armis, publica cum armis inferitur. 3tio. Concussio, dum alicui ad quid faciendum, vel omittendum terror incutitur, quod fit vel à privatis, dum schedulæ incendiariæ vel mortis comminatoriæ mittuntur, nisi in tali loco pecuniæ reponantur, vel à Magistratibus aut eorum Officialibus, quando aliquid à subditis extorquetur, ut justitiam obtineant, creditum recipiant, in distributione onerum communium ultra condignum non graventur &c.

Quæres septimo: Quid est incendiarius?

Re. Incendiarius à causato voluntariè dicitur incendio, hoc vel est culposum solum, vel dolosum simul, culposum est, quando absque directa intentione ex imprudentia vel negligentia cujusdam incendium oritur, quod fit vel ex culpa lata ut in *L. si fortuito. 11. ff. de incend. ruin. naufrag.* vel ex culpa levi, ut in *L. qui occidit. 30. §. in hac quoque. ff. ad L. Aquil.* vel ex culpa levissima, ut in *L. si Servus. 27. §. 9. & 11. ff. ad Leg. Aquil.* incendium dolosum est, quando quis datâ operâ sciens & prudens apposito igne ædes, aliudve ædificium sive urbanum, sive rusticum, aut segetes, sylvas, vineas

neas & incendit, vel ad hoc mandatum, auxilium, vel consilium præstat. *Can. cum devotissimam* 8. 12. q. 2. *Can. pessimam* 32. *caus. 23. q. 8. cap. si egres-*
sus. 5. cap. si quis. 6. de injur. & damn.

Quæres octavo: Quæ incendiario-
rum pœnæ?

ꝛ. Ob incendium malitiosum & dolosum incendiarius & omnes illi, qui consilium vel auxilium præstiterunt, sublata & incensa restituere & tribus annis pœnitere debent, incendiarius insuper, si priusquam satisfecerit mortuus fuerit Ecclesiasticâ privatur sepulturâ. *Can. si quis membrorum* 31. *Can. pessimam* 32. *caus. 23. q. 8. cap. in litteris. 5. de Raptor.* incendiarius locorum piorum ipso facto excommunicatus est. *Cap. tua nos. 19. de sentent. excomm.* locorum profanorum incendiarii excommunicandi sunt.

Quæres nono: Quæ pœna incendii casualis, in quo tamen culpa intervenit.

ꝛ. Si dans occasionem incendii casualis, culpam latam commiserit, ad restitutionem etiam ante Judicis sententiam, si culpam levem & levissimam, post sententiam Judicis tenetur. Ex culpa incendium accidit quando ex imprudentia vel negligentia oritur.

Quæres decimo: Quinam sunt violatores Ecclesiæ?

ꝛ. Sunt illi, qui Ecclesias vel loca religiosa & pia violentè effringunt & spoliant, de quibus in *Can. Canonica*

107. *caus. 11. q. 3. Can. omnes. 5. Can. quisquis. 21. caus. 17. q. 4.*

Quæres undecimo: Quæ sunt Ecclesias violantium pœnæ?

ꝛ. Si spoliium cum effractione factum, sunt ipso facto excommunicati & per solum Papam post denuntiationem absolvuntur. *Cir. Cap. tua nos. Cap. conquesti. 22. de sentent. excomm.* si non restituant, aut ante mortem de restituendo caveant, Christianorum privantur sepulturâ, & si quis Presbyterorum vel Clericorum eis in vita vel morte pœnitentias, seu absolutionem dare, aut sepulturæ interesse vel eorum Eleemosynas accipere attentaverint, seu hujusmodi rapinæ participes inventi fuerint, ordinis sui damnum irreparabiliter patiantur & Ecclesiastico beneficio careant. *Cap. super eo. 2. de Raptor.*

Quæres duodecimo: An raptores jure Asyli gaudeant?

R. A Jure Asyli per constitutionem Gregor. XIV. excluduntur *1^{mo}*. publici latrones, id est, qui homines spoliandi causâ homicidia committere solent. *2^{do}*. Viarum grassatores, qui itinera frequentata publicasque stratas obsident & viatores prædæ causâ & violenter ex insidiis absque cæde tamen aggrediuntur. *3^{io}*. Agrorum depopulatores, qui segetes agrorum vel fructus vinearum comburendo vel destruendo devastant.

TITULUS X.

DE

Usuris.

USura vel materialiter, pro eo lucro, quod ad sortem mutuam accedit, vel formaliter, pro ipso actu aut usuraria conventionione accipitur, & est actus voluntatis interior vel exterior conventio dandi, aut accipiendi lucrum aliquod temporale ultra sortem ex vi mutui principaliter, dividitur in mentalem & conventionalem, mentalis est: quando mutuans citra ullam conventionem eo animo dat mutuum, ut ultra sortem aliquid accipiat, aliàs non daturus, de quo in *cap. consultit. 10. h. t. Urban. III.* interrogatus an ille in Judicio animarum quali usurarius judicari debeat, qui non aliàs mutuum traditurus eo proposito mutuam credit pecuniam, ut, licet omni conventionione cessante, plus tamen sorte recipiat respondet: quod hujusmodi pro intentione lucri, quam habet, judicandus sit male agere, & ad ea, quæ taliter accepta, restituenda in animarum Judicio efficaciter sit inducendus. Conventionalis est, quando cum pacto tacito vel expresso aliquid ultra sortem accipiendi mutuatur pecunia. De qua in *Can. fin. caus. 14. q. 3.*

Quæres primo: Quo Jure prohibita sunt usura?

R. D. Schnorrenberg. Instit. 7. Can.

3. Usuræ omni Jure vêtantur & damnantur. 1mo. Naturali; quia usurarius neque retento pecuniæ dominio, ejusdem fructum, uti in rebus fructiferis, vendere potest, quia pecunia de se res sterilis est, nec fructificat, nisi in quantum humanæ substantiæ industriæ, fructus autem industriales sunt ponentis industriam, neque translato pecuniæ dominio & proprietate per mutui traditionem erga æquivalentem, summam videlicet similem refundendam pro fructibus pecuniæ, etiam si illa fructificare posset, aliquid exigere licet, translato enim rei dominio, fructus ejus ad Dominum pertinent, sicut iusto pretio vendens arborem pro fructibus ejus aliquid exigere non potest, quia translato dominio Domino arboris debentur, & ideo qui ultra id, quod mutuo dedit, à Mutuatario exigit, injustè extorquet.

2do. Jure divino Legis Veteris & novæ, usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestatur, inquit Alex. III. in *Cap. super eo. 4. h. t. Exod. 22. si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. Levit. 25. Pecuniam tuam non dabis ad usuram. Deuter. 23. non fac-*

liii

nera-

neraberis fratri tuo ad usuram pecuniam.
Luc. 6. dato mutuum nihil inde speran-
tes.

310. Jure Canonico, ut constat ex tota *dist. 47. & caus. 14. q. 4.* ubi notabilis est *Can. 11.* quid dicam de usuris? aut crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore? Titulo de *usuris in decretalibus & sexto.* imo in Concil. Viennens. sub Clem. V. anno 1311. hæreseos damnati sunt, qui usuras peccatum non esse, pertinaciter asserere ausi fuerint. *Clement. un. §. sanè de usur.*

410. Jure quoque Civili contractus usurarii damnati sunt per novissimas Imperii Constitutiones in Comitibus Augustanis Anno 1500. 1539. 1548. promulgatas, quamvis *L. eos, qui. 26. & seqq. C. de usur.* usura centesima, aliæque moderatæ permittantur, in quibus tamen Jus civile Canonum Auctoritas correxit.

Quæres secundo: Quid requiritur, ut contractus sit usurarius?

R. Ad rationem usuræ duo requiruntur 1^{um}: ut sit mutuum vel formale vel virtuale. 2^{dum}: ut sit intentio ex formali vel virtuali mutuo, aliquid pretio æstimabile acquirendi, si nec formale nec virtuale mutuum sit, contractus injustus, non tamen usurarius esse potest, etsi in pactum aliquid ultra sortem deducatur, quod si non in compensationem mutui, sed alio dandum titulo, usura non est.

Quæres tertio: Quomodo usura in mutuo committitur virtuali?

R. Quoties contractus à mutuo distinctus celebratur, in quo propter prorogatam pecuniam vel creditum pretium aut interesse, certum luctum deducitur, palliata est usura. Sic

1^{mo}: Mercator propter dilatam solutionem merces carius vendens, usurarius est, nisi dubium sit, an tempore solutionis valor rei auctus, & venditor rem venditam usque ad tempus augmenti servaturus erat. *Cap. in civitate. 6. h. 1.* quia hujusmodi pretii expectatio mutui rationem habet.

2^{do}: Emptor anticipatâ solutione rem emens vilius, usurarius est, quia & anticipatio ista habet rationem mutui, cujus quoddam pretium est iusti pretii diminutio. *Cap. naviganti. fin. h. 1.* ubi hæc fit exceptio: qui pannos, granum, vinum, oleum & alias merces vendit vel emit, ut amplius vel minus quam tunc valeant, in certo termino det, vel recipiat, si dubitetur verosimiliter utrum plus vel minus tempore solutionis vel traditionis, sint merces valituræ, ratione istius dubii usurarius reputari non debet. 3^{io}: Usurarius est, qui rem eo emit pacto, ut eandem venditori pretium augendo restituat post tempus. *Cap. illo. 4. de pignor. 410.* Creditor usurarius est, qui à debitore pro mutuato Capitali accipit pignus, quo interea fruatur, fructibus in sortem Capitalis non computatis. *Cap. plures. 1. cap. quoniam. 2. h. 1. Cap. cum contra. 6. de pignor.*

Quæres quarto: An ad causam piam v. g. pro pauperibus, captivis redimendis &c. in mutuo ultra sortem quid exigere valeat?

R. Quia

¶. Quia usurae sunt intrinsecè male, etiam ad causam piam non licent, cum enim scriptura Sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur. *Cap. super eo. 4. h. t.* ideoque contractus usurarius nec Juramento de non repetendis usuris confirmatur. *Cap. tuas. 13. h. t.* nec consuetudo nec statutum ab usura excusate possunt. *Clement. un. de usur.*

Quaeres quinto: An à debitore Creditori gratis & ex benevolentia mutuanti aliquid ultra sortem oblatum recipi possit?

¶. Affirmativè dummodo in mutui concessione remunerationem non intendebat, & alias mutuum, nisi sub spe securitatis remunerationis non dedisset. *Cap. consuluit. 10. h. t.* neque remunerationem in contractum dederit, ob damnatam ab Innoc. XI. propositionem. 42dam: *usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex iustitia debitum.*

Quaeres sexto: An in pactum deduci possit, ut debitor ultra sortem solvat, si in mora solvendi fuerit?

¶. Affirmativè, quia talis poena ultra sortem non solvitur vi mutui, sed ob motam & culpam mutui non soluti, dummodo tamen nulla fraus aut usuraria subsit intentio, si enim mutuans lucrum illud principaliter intendebat, & terminum brevem & capriolum mutuatario praescripsit, eo

solum sine, ut causam lucri ex mutuo captaret, absque dubio usuram committere dicendus est.

Quaeres septimo: An ob periculum fortis aliquid ultra sortem in mutuo exigere liceat?

¶. Ob periculum amittendi Capitalis licet aliquid ultra sortem pacisci, tam eo casu, quo in genere iacturam fortis rationabiliter timet mutuans, ut quia Mutuatarium aliis debitis onustus securitatem de sorte nec per pignora, nec per fidejussores dare potest, quam etiam eo casu, quo mutuans certum & speciale periculum fortis, quod alias penes mutuatarium, utpote rei mutuatae Dominum esset, in se suscipit, v. g. mutuat quis ad nundinas proficiscenti centum, si navis pereat vel fors ab hostibus auferatur, mutuatarium nihil solvet, si omnia salva manent cum Capitali solvet quinque pro centum. Ratio est: quia tali casu auctuarium non propter mutuum, sed propter periculum pretio aestimabile, quod mutuans in gratiam mutuatarium in se recipit, solvitur. *Cap. naviganti. fin. h. t.* intelligendum est, quando quis aliter non vult mutuare, nisi pro periculo in se suscipiendo aliquid ultra sortem detur, in quo apparet implicitam usurae intervenire intentionem.

Quaeres octavo: An propter lucrum cessans & damnum emergens ultra sortem aliquid exigi possit?

¶. Si creditor pecunià credità certum quantum facere potuit (quod est lucrum cessans) aut propter datum

redito mutuum damnum incurrat, quod dicitur damnum emergens, aliquid ultra sortem ratione interesse exigere iniquum non est, cum nemo alteri cum proprio damno benefacere teneatur; quare tale interesse mutans tempore, mutationis in contractum deducere potest, & certam summam loco interesse stipulati eo casu, quo pluris vel minoris, quam taxatum est, interesse potest: quia incertitudo conjuncta cum spe majoris lucri vel timore majoris damni facit, ut pluris æstimari possit, & si ex post minus fuisse factu appareat. *Arg. cap. fin. h. t.* quod si tempore contractus de interesse non sit conventum, illud in foro conscientia licitè exigì & recipi potest, non tamen pro foro externo, nisi mutuatarius sit in mora, & ratione moræ damnum emergens aut lucrum cessans intervenerit.

Quæres nono: An Usurarius usurarum acquirat dominium?

R. *Negative*, nunquam enim nuda traditio transfert dominium, nisi justus titulus aut causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur. *L. nunquam. 31. ff. de acquir. rer. dom.*

Quæres decimo; Quæ usuras restituendi obligatio?

R. *imo*: non solum Christiani, sed etiam Judæi & infideles usuras restituere tenentur, vel his, à quibus extorserunt, vel eorum hæredibus, aut iis non supersticibus, pauperibus erogari debent, in quem finem possessiones, quæ de usuris comparatæ sunt, vendi, & ipsarum pretia his, à

quibus usuræ extortæ sunt, restitui debent. *Cap. cum tu. 5. h. t. 2do.* filii usurariorum, & qui in crimine usurarum defunctis succedunt, ad restituendas usuras eâ sunt distinctione cogendi, quâ parentes, si viverent, cogerentur. *Cap. tua nos. 9. h. t. 3tio.* Judæos ad restituendas Christianis usuras Principes & potestates Sæculares compellere debent. *Cap. post miserabilem. 2. cap. quanto. 18. h. t. 4to.* Non obstante juramento de non repetendis usuris per debitorem præstito, potest Judex ex officio usurarium ad restituendas usuras compellere. *Cap. tuas. 13. h. t. 5to.* pro foro externo, si repetens usuras etiam fuerit usurarius, per exceptionem repelli potest, ut non audiatur, quousque ipse usuras restituerit, quas ab aliis noscitur recepisse, quia frustra legis auxilium invocat qui committit in legem. *Cap. quia frustra. 14. h. t.*

Quæres undecimo: An usurarius solum mentalis ad restitutionem teneatur?

R. Si revera titulo mutui accepit, nec Mutuatarius alio titulo auctuarium obtulit, restituere obligatur. Ratio in promptu est: quia alio titulo, quam usurario illud, quod supra sortem est, non recepit, cum igitur injustè receperit, injustè receptum restituere tenetur. Et ita intelligendus est textus in *Cap. consuluit. 10. h. t.* at si Mutuatarius mutnanti aliquid ultra sortem gratuito date voluit, licet usurarius mentalis sinistro oculo ad lucrum respiciens, ex hoc sese ad dandum

dum mutuam resolvit, est quidem usurarius mentalis, non tamen restituere debet, quod gratuito oblatum cum gratiarum actione accepit.

Quæres *duodecimo*: quæ usurariorum pœnæ?

R. Sequentes: *1mo* Clerici usurarii suspenduntur. *Cap. praterca. 7. h. t.* ab officio deponuntur & beneficio privantur. *Can. quoniam. 8. caus. 14. q. 4. Cap. 1. h. t.* ubi à pœna hac excipitur Clericus, qui uturas exercet, ut hoc modo beneficium Ecclesiæ de manu laici redimere possit. *2do*: Magistratus per statutum vel alias dispositiones uturam approbantes excommu-

nicationem incurrunt per *Clement. un. h. t. 3tio*. Usurarii Manifesti communiōne etiam in extremis & ecclesiastica privantur sepultura. *Cap. quia. 3. h. t.* omnes autem religiosi & alii, manifestos usurarios contra Sacrorum Canonum formam ad Ecclesiasticam sepulturam admittentes pœnæ Lateran. Conc. contra Usurarios promulgatæ subjiciuntur. *Cap. quamquam. 2. eod. in 6. 4to*: Testamenta & ultimæ voluntates usurariorum manifestorum, nisi ante mortem restituerint, aut de restitutione sufficienter caverint, non valent & ipso jure irrita existunt. *Cit. cap. quamquam. §. fin. in 6.*

TITULUS XI.

DE

Crimine Falsi.

CRimen falsi publicum est delictum, quo quis dolo in alterius præjudicium veritatem immutat, contra specialem Legum aut Canonum prohibitionem. Dividitur in personale & reale, personale circa personam committitur, ut nominis mutatio, partus suppositio, testium subornatio, judicis corruptio. Reale fit circa res, aut verbo, dando falsum testimonium aut scripto, auctoritate publica falsum scribendo, aut facto, monetam, scripturas publicas in toto vel in parte falsificando.

Quæres *primo*: Quæ ad crimen falsi requiruntur?

R. Requiritur sequentia, *1mo*. Ut pervertatur veritas, aut negativè occultando, aut positivè, falsum manifestando. *secundo*: Ut hoc fiat dolo malo animo veritatem in alterius præjudicium corrumpendi. *3tio*. Ut grave & notabile alterius interveniat præjudicium, & Lege vel Canone aut statuto talis veri immutatio veluti punibilis pœnâ falsi sit declarata, qui extrajudicialiter aliquid est contestatus ac postea in Judicio contrarium asserit, pœnam falsi non incurrit, quamvis ut mendax puniendus sit, cum lege, pœnam

liii 3

falsi

falsi huic testi irrogandam esse, non demonstratur.

Quæres secundo: Quando crimen falsi circa personas committitur?

R. In casibus sequentibus: 1^{mo}. Si femina partum alienum in marito, ejus hæredum vel Successorum, aut propriorum prolium præjudicium supponat. L. qui falsam. 19. L. Cornelia. 30. ff. ad L. Cornel. de falsis. 2^{do}. Si quis nomen suum aut cognomen in alterius præjudicium fraudulenter mutet, vel nomen alterius assumat, aut proprium dissimulet. L. un. C. de mutat. nom. 310. Si quis aliud familiae genus, aliosve Parentes fingat, se pro nobili, Doctore, Medico, aut alterius artis experto gerat, alterius insignibus dolose utatur. Arg. Cap. dilecta. 14. de excess. Prelat.

Quæres tertio: Quando circa testes fit crimen falsi?

R. Testis falsum committit dupliciter. 1^{mo}. Si falsum deponat, falsidicus testis tribus personis est obnoxius primum Deo, cujus personam contemnit, deinde Judici, quem mentiendo fallit, postremo innocenti, quem falso testimonio lædit. Cap. 1. h. t. 2^{do}. Qui testem falsum donis aut pretio ad dandum testimonium falsum subornat.

3^{io}. Qui testem falsum scienter producit, aut falsi testis dicto utitur. 4^{to}. Testis obscure & versute eo sine deponens, ut ejusdem depositio non profit testem producenti.

Quæres quarto: Quando Judex & Advocatus crimen falsi admittunt?

R. 1^{mo}. Judex est falsarius, si pecuniâ corruptus vel aliâ dolo malo contra leges & constitutiones injustam

fert sententiam. L. 1. §. sed & si Judex. ff. ad Leg. Cornel. de falsis. 2^{do}. Advocatus falsum committit, si parti adversæ causam vel secretæ causæ sui Clientis prodar. Cst. L. 1. §. 1. ff. ad Leg. Cornel. de fals.

Quæres quinto: Qualiter Apostolicæ falsificantur litteræ?

R. Variis falsificantur modis. 1^{mo}. In modo, quo obrinentur, si nempe litteræ non immediatè à Pontifice vel illis, ad quos hoc ex officio de mandato Pontificis spectat, impetrentur. Cap. dura. 4. h. t. 2^{do}. In sigillo, si scilicet bulla vel plumbum affigi solitum vitiatum & non recte expressum sit, de quo in Cap. licet. 5. h. t. 3^{io}. In stylo, exemplum est in Cap. quam grav. 6. h. t. ubi litteræ Apostolicæ declarantur falsæ, quia in illis Archiepiscopus filius nuncupabatur, qui de stylo Curie à Pontifice solet nominari frater. Vel si uni scribitur in plurali, quando enim Summus Pontifex ad unum tantum litteras dirigit numquam ei loquitur in plurali, ut vos, sive vester.

4^{to}. Ob rasuram si videlicet in litteris Papalibus litteræ quædam deletæ vel expunctæ in loco suspecto, hoc est, in quo per talem disjunctionem sensus mutari potuit. De quo in Cap. inter dilectos. 6. de fid. instrum. Cap. cum venerabilis. 7. de Relig. domib. Cap. fin. h. t.

Quæres sexto: Quis propter vitiatam Scripturam est falsarius?

R. Sunt illi, qui testamentum vel instrumentum publicum corrumpunt, destruunt, falsum testamentum vel instrumentum scribunt, signant, recitant

tant, falso sigillo muniunt, falsas litteras scienter recipiunt, iis, maximè in Judiciis, utuntur, in quibus ex documentis falsis lata nulla est sententia. *Cap. super eo. 2. h. t.*

Quæres septimo: Quomodo falsificatur moneta?

ꝛ. Quatuor maximè modis; primo, si quis auctoritatem publicam non habens, monetam, quamvis iustæ probæ & pretii, cudat: quia monetam cudere est Regale summis reservatum Principibus in temporalibus superiorem non agnoscentibus, & iis quibus vel ex Privilegio vel ex immemoriali consuetudine id ipsum competit. Ad iustam igitur monetam duo requiruntur, valor intrinsecus, seu materiæ, ex qua cula est, bonitas, & publica forma, seu signum publicum auctoritate summi Principis impressum. *L. 1. ff. de contrah. Empt. 2do.* Multo magis falsarius est, cudens monetam ex cupro vel aliâ minoris valoris materiâ, quam iustæ monetæ. *3tio.* Qui genuinam monetam radendo corrumpit, ita, ut iusti amplius ponderis non existat. *4to.* Qui falsâ aut vitiatâ monetâ scienter utitur, illam expendendo, commutando, in solutionem dando, &c.

Quæres octavo: Quæ pœna falsi in Judiciis committi?

ꝛ. Falsum in Judiciis committens causam perdit, sive falsum in electione Prælati, vel beneficiati, sive in causa civili, sive in causa contra Fiscum, vel etiam contra aliam privatum fuerit commissum, & præterea pœnâ multatur arbitrariâ. De iure Canonico

Clericus falsarius deponitur, & Monasterio ad agendam pœnitentiam includitur. *Can. si Episcopus. 7. dist. 50.* Clericus, qui in Judiciis sæculari falsum commisit v. g. dicendo falsum testimonium, non à laico, sed Ecclesiastico puniendus est Iudice. *Cap. nullus. 2. de foro competent.*

Quæres nono: Quæ litteras Apostolicas falsificantium pœnæ?

ꝛ. Omnes, qui litteras Apostolicas per se vel per alios falsificarunt, eorumque defensores & fautores sunt ipso facto excommunicati, & si Clerici, omnibus privantur beneficiis, ita, ut qui per se falsitatis vitium exercuerunt, postquam per Ecclesiasticum iudicem fuerint degradati, sæculari potestati tradantur, secundum Constitutiones legitimas puniendi. Præterea similibus litteris ab aliis falsatis utentes, si Clerici fuerint, officiis & beneficiis Ecclesiasticis spoliantur, si laici tamdiu sunt excommunicati, donec competenter satisfaciant. *Cap. ad falsariorum. 7. h. t.*

Quæres decimo: An in dubio præsumendum, esse committam in litteris Apostolicis falsitatem?

ꝛ. Si quis litteras Apostolicas formam simplicis iustitiæ habentes, id est; in quibus petitur ut iustitia administretur, impetraverit, & in illis falsitas deprehendatur, præsumi non debet, quod pro talibus litteris, quæ possunt facile obtineri, fraudem quis commiserit falsitatis, nec ideo impetrans est puniendus, si eis usus non fuerit, postquam illas falsas cognovit. *Cap. accedens. 8. h. t.*

Quæ-

Quæres undecimo: Quæ pœna sigillum Principis fallantium?

ꝛ. Si Clerici fuerint, non quidem mutilantur, nec eis corporalis pœna per quam periculum mortis possint incurere, infligitur, sed degradantur, & in signum maleficii infami notâ & stigmatate consignantur, & in exilium mittuntur. *Cap. ad audientiam. 3. h. t.*

Quæres duodecimo: Quæ pœna fallantium monetas?

ꝛ. In Jure Civili monetarum falsificatio scelus dicitur clandestinum. *L. 1. C. de fals. monet.* cui obnoxii in majestatem delinquent, & præmio accusatoribus propositio, quicumque soli-

dorum adulter poterit reperiri, vel à quocunque fuerit publicatus, omni dilatione submota, flammatum exustionibus mancipandus est. *L. si quis. 2. C. de fals. monet.* in Jure Canonico falsarum monetarum fabricatores in Regno Franciæ maledictioni & excommunicationi summo Pontifici reservatæ subjiuntur per *Extrav. Joannis XXII. un. de crim. fals. inter Com.* graviter prohibetur ars Alchimiæ, & omnes illi, qui ex auro chymico monetam cudunt, perpetuâ notantur infamiâ, & si Clerici fuerint, ultra pœnas in *Extrav. memoratas* privantur beneficiis habitis & profus inhabilitantur ad habenda.

TITULUS XII.

DE

Injuriis & Damno dato.

Injuria late sumpta est omne id, quod non jure, sed contra jus factum, & hoc modo injuriam in bonis animæ, corporis, famæ, honoris & fortunarum sub se comprehendit, quæ omnes injuriæ specie morali distinguuntur. Injuria strictius sumpta, ut hoc titulo accipitur, est alicui dicta vel facta contumelia. *Instit. lib. 4. de injur. in princ.* hæc Injuria tribus committitur modis: *re, verbis & scriptis.* *Re*, cum quis manus violentas alicui injicit. *Verbis*: cum per criminis exprobrationem aut defectus natu-

ralis objectionem sit convitium. *Litteris*: per libellum famosum, carmen aut historiam ad cujusdam dehonorationem compositam. Damnum, de quo altera pars tituli, est delictum, quo quis servum, vel quadrupedem alterius occidit vel vulneravit, aut ejus res læsit, rupit, confregit &c. de his criminibus

Quæres primo: qualiter injuria committitur?

ꝛ. Ad formalem injuriam, de qua hic agitur, requiruntur duo: 1^{mo}. Dolus & animus injuriandi. *L. si non con-*

viii

visi §. C. de injur. ideo nemo injuriam facit, qui se eam facere nescit sufficientem autem quod se injuriam facere sciat, etsi cui nesciat. L. illud. §. §. itaque ff. de injur. animus autem injuriandi præsumitur, si verba aut facta ex se sint injuriosa, unde talia faciendi se ea absque animo injuriandi fecisse, probare incumbit. it. L. si non conviit. dicens verbum, vel factum committens injuriosum, licet protestationem; Salvo honore, addiderit, ab injuria non excusatur, talis enim protestatio est facta contraria, nec relevat protestantem. Porro non tantum nos injuria directè in propriam personam detorta afficit, sed etiam in conjunctis, honoris & famæ patimur læsionem; sic injuria facta filio in patrem, uxori in maritum, testatoris Cadaveri in hæredem redundat, spectat enim ad nos injuria, quæ in his fit, qui vel potestati nostræ vel affectui sunt subjecti. L. 1. §. item. 3. ff. de injur. 2do. Ex parte injuriati requiritur revocatio contumeliæ ad animum. Instit. de injur. §. fin. hoc est, quod injuriam passus ægrè & graviter ferentis animi signa dederit, nam si ab initio factum vel dictum non pro injuria, sed pro joco habuerit, postea ex pœnitentia remissam injuriam non poterit recolare.

Quæres secundo: Quis effectus injuriæ?

R. Ex injuria duplex oritur actio, Civilis & Criminalis, in actione civili injuriatus, vel injuriæ revocationem, vel ejusdem petit æstimationem, determinando, quantum æstimet inju-

R. D. Schnorrenberg. Instit. 7. Can.

riam, ut quod potius 100. imperialibus carere, quam talem injuriam sustinere maluisset, & tunc Judicis est æstimationem injuriati moderari, eique Juramentum deferre, qui usque ad summam à Judice taxatam, non ultra jurare potest. Criminaliter injuriatus agit ad pœnam vel corporis afflictivam, vel pecuniariam Fisco applicandam. Si injuriatus actione civili agere cœpit, ad criminalem transire nequit, aut e contra.

Quæres tertio: An qui verum crimen objicit injuriarum teneatur actione?

R. Vel prodest Reipub. sciri crimen verum, & puniri, & tunc non tenetur injuriarum actione, modò crimen objectum probaverit; L. eum qui. 18. ff. de injur. Vel non interest Reipub. ut crimen sciatur, & tunc propter veritatem convitii objiciens non excusatur: quia in injuriarum actione, non tam Convitii veritas, quam calumniandi attenditur animus, & injuriandi voluntas, nemo enim alium sine causa vel boni publici vel defensionis propriæ aut proximi dehonoriandi habet facultatem.

Quæres quarto: An injuriato illatam injuriam retorquendi sit potestas?

R. Non præsumitur injuriandi animus in illo, qui injuriis ab altero illatis ad iram concitatus statim in continenti regerit: tu mentiris ut nequam, vel talem te habeo, qualem me vocas, usque dum mihi satisfacias. Quia animo magis te defendendi, quam injurian-

Kkkk

juriandi talia protulisse censetur, & in-
contultus calor calumniæ vitio caret.
Can. si quis iratus. §. caus. 2. q. 3. in
his tamen retorsionibus moderamen
inculpatae tutelæ servandum est, quod
non fit, si convitium à provocato pro-
vocanti objectum ad innocentiam non
spectat defensionem.

Quæres quinto: An alicui pro injuria
alteri illata competat injuriarum actio?

R. Una persona actionem injuria-
rum pro injuria sibi conjunctæ illata
intentare potest, ut pater pro filii,
Dominus pro servi, Maritus pro uxo-
ris, Episcopus pro Clerici sibi subje-
cti, Prælatus pro sui Religiosi inju-
ria. In quibus casibus, quamvis infe-
rior injuriam remisit, Superior nihi-
lominus actionem injuriarum contra
injuriantem instituere potest, cum læ-
so Superioritatis juri nondum satis-
factum.

Quæres sexto: Quænam atrox di-
citur injuria?

R. Injuria aut personâ, aut tem-
pore, aut reipsâ fit atrox. *Personâ*
atrocior fit injuria, ut cum Magistra-
tui, parenti aut patrono fit. *Tempore*,
si Ludis, & in conspectu communi-
tatis fit, *reipsâ*, si v. g. vulnus latum
inflictum, aut os alicui percussum.
si quis in foro vel theatro cæsus. *L.*
prator. 7. §. atrocem. ff. de injur. atrox
quoque est injuria quæ intertur Sacer-
doti, dum est in officio, aut dignita-
tis habitum & ornamenta præfert. *L.*
atrocem. 3. C. de injur.

Quæres septimo: Quomodo inju-
riarum tollitur actio?

R. Actio injuriarum cessat 1^{mo}: Si sui
defendendi causâ alteri crimen objecit;
quia quod quis ad finem defendendæ
bonæ causæ, necessario aut utiliter ob-
jicit, ad injuriam non pertinet, sic
justè & sine honoris læsione testi in-
famia, & testandi incapacitas, actori
excommunicatio, petenti dotem adul-
terium opponitur.

2^{do}: Cessat morte tam injuriantis,
quàm injuriati; injuriarum enim actio
neque hæredi, neque in hæredem da-
tur. *L. injuriarum. 13. ff. de injur. 310*:
Tollitur condonatione vel expressâ per
pactum aut transactionem factâ, vel
tacitâ, ut si injuriatus cum injuriante
iterum familiariter conversatus fuerit.
L. non solum. 11. ff. de injur. 410: Pre-
scriptione vel lapsu temporis, scilicet
actio injuriarum ad pœnam lapsu unius
anni utilis, id est, quo actionem po-
tuit prosequi injuriatus, aboletur. *L.*
si non convitii. C. de injur. 510: Re-
torsione, quia per eam injuriato cen-
setur satisfactum. 6^{to}: injuriæ revoca-
tione in continenti facta, ex interval-
lo facta, actionis non purgat injuriam.
Condemnatus actione injuriarum, sal-
tem si injuria sit gravis, infamium Ca-
talogo adscribitur.

Quæres octavo: Quando quis alteri
ex damno illato tenetur?

R. Si culpa cujusquam datum est
damnum vel injuria irrogata, vel aliis
irrogantibus quis opem tulit, aut hæc
imperitiâ ejus sive negligentia evene-
runt, jure super his satisfacere illum
oportet, nec ignorantia excusat, si
scire debuerit ex facto suo injuriam
veri-

verisimiliter posse contingere vel ja-
cturam. *Cap. fin. de injur.*

Ex his habes, quod ad rationem
damni requiratur, ut læsio sit facta
cum culpa vel dolo, ideoque nulla
restituendi obligatio, si damnum for-
tuito accidat casu, dummodo casui
alterius culpa causam non dederit, aut
si jure permittente vel ipsius læsi cul-
pâ damnum sit causatum.

Quæres nono: An & qualiter dam-
num per alterius animal causatum sit
refarciendum?

ꝛ. Si animal damnum vel paupe-
riem fecit, contra Dominum ejus da-
tur actio. *L. 1. ff. si quadrupes. Sc.* ex-
plicatur. Damnum illud, quod ab ani-
mali rationis experte factum, paupe-
ries vocatur: quia sit absque injuria,
quæ in animal cadere non potest. Per
animal ergo læso datur actio ex lege
duodecim tabularum, quæ vult, aut
dari id, quod nocuit, id est, illud
animal, quod noxam commisit, aut
æstimationem noxæ; si igitur animal
naturâ suâ mansuetum, gregatim pas-
ci solitum; contra naturam damnum
fecerit, v.g. equus calce percussit, bos
cornibus animal vel hominem læsit,
datur damnum passo actio adversus
Dominum animalis, quod damnifi-
cavit, alternativè concepta, vel ad re-
fensionem damni dati, vel ad traden-
dum animal noxæ. Quod si aliud ani-
mal non quadrupes, vel gregatim pas-
ci non solitum, v.g. Canis damnum
fecerit, non datur quidem directa actio
ex verbis Legis duodecim tabularum,
sed utilis. Quando animal facto ho-

minis ad ferocitatem motum vel con-
citatum damnum intulit, cessat contra
Dominum actio *de pauperie*, sed ad-
versus concitantem est actio *Legis Aquil-
liæ*.

Quæres decimo: An qui damno de-
dit occasionem, ex damno teneatur?

ꝛ. Qui occasionem damni dedit,
damnum dedisse videtur, ita, si quis
effoderit cisternam, nec cooperuerit
eam, alteriusque bos aut asinus in il-
lam ceciderit, Dominus Cisternæ da-
bit pretium animalis, quod autem mor-
tuum est, illius erit. *Cap. si quis. 2. cap.
si egressus. 5. cap. olim. 7. de injur. arg.
L. qui foveas. 28. ff. ad Leg. aquil.* te-
cluso tamen pacto vel contractu ad
restitutionem damni, quantumvis gra-
vis, ex culpa levi vel levissima aut ju-
ridica præter intentionem illati, in fo-
ro conscientie ante Judicis Sententiam
nemo tenetur. Ratio est: quia te-
cluso peculiari pacto, nemo alterius
damnum majori diligentia cavere ob-
ligatur, quam ordinariè homines ejus-
dem conditionis in simili materia pro-
prium damnum præcavere consueve-
runt. Leges & Canones non obstant,
cum loquantur de culpa in foro exte-
no præsumpta, quæ præsumptio in
foro Conscientie locum non habet, in
eo enim veritas stat contra præsum-
ptionem. Lex ergo Aquilia, dum
culpa Theologica in actione damnifi-
cative non intervenit, solum post Ju-
dicis Sententiam obligare probabilius
dicenda est. Quod si quis jurato dam-
na accepta remiserit, adhuc litis ex-
pensas, Juramento non obstante, exi-
gere

gere potest; aliud enim est damnorum reparatio, quam satisfactio expensarum. *Cap. in nostra, §. de injur.*

Quæres undecimo: An damni dans occasionem ad lucrum cessans quoque teneatur?

℞. Affirmativè. Arg. cap. 1. de injur. Si quis in rixa percusserit proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, si jacuerit in lecto, qui percusserit, operas ejus & expensas in medicos restituat. Damnum enim consequimur, & amisisse dicimur, quod aut consequi potuimus, aut erogare cogimur. *L. si servum, 33. ff. ad Leg. aquil.* unde lucrum cessans ex lege Aquilia parit actionem.

Quæres duodecimo: An licitæ sint repressaliæ?

℞. Repressaliæ latinè pignorationes dictæ, sunt litteræ, in quibus Princeps vel Respub. in subditis suis damnum passa, militibus suis vel subditis dat potestatem invadendi terras eorum, qui damnum intulerunt, & occupandi bona incolarum etiam inno-

centum, in illati damni compensationem. Hæ Repressaliæ in his licitæ sunt circumstantiis: *1mo.* Si dentur à Supremo Principe, qui Jus pacis & belli habet. *2do.* Si Princeps, cujus subditi damnum intulerunt, admonitus petitam præstare recuset satisfactionem. *3tio.* Si servetur moderamen, nec majus, quam fuerit illatum, damnum reciprocetur. Alias repressaliæ, in quibus unus præ altero gravatur, sunt illicitæ *Cap. un. de Injur. in 6.*

2do. Repressaliæ cæteroquin justæ ad personas Ecclesiasticas, neque ad earum bona sunt extendendæ, non obstante quâcumque contrariâ consuetudine, quæ potius abusus est, & Ecclesiasticæ immunitati repugnans corruptela. Imo qui tales Repressaliæ concedunt, vel ad ecclesiasticos extendunt, si intra mensem non revocent, & sint personæ singulares, excommunicationi; si universales, interdicto subduntur. *Cit. cap. un. de Injur. in 6.*

TITULUS ULTIMUS.

D E

De duplici Purgatione, Canonica & vulgari.

Postquam Accusatio vel denuntiatio & inquisitio facta; si actor intentionem suam probare non potuerit, jura modum inven-

runt, quo & diffamati consulatur honori, & læsorum provideatur indemnitate. Publico enim interest, ne persona diffamata maneat suspecta propter scan-

scandalum, & privati patiantur propter detrimentum. Utrique obviatur per Canonicam purgationem. Huic similem vulgus ad levia trahi solitum excogitavit, quam cum jure ecclesiastico vulgarem appellamus. De utraque brevem tractatum ad calcem operis pro Coronide tubjicimus.

Quæres primo: Quid est purgatio Canonica?

R. Est lux ab objecto Crimine vel defectu aut macula innocentiae ostensio, quæ iis, qui de crimine graviter diffamati & suspecti, accusatore, vel probationibus deficientibus convinci non possunt, à Judicæ competente indicitur. *Can. si legitime. 12. can. nobilitis. 15. can. si mala. 16. can. quoties. 17. caus. 2. q. 4. cap. inter sollicitudines. 10. cap. accedens. 14. de purgat. Can.*

Quæres secundo: A quo purgatio Canonica indicenda?

R. A competente Judicæ, id est, illo, qui de objecto crimine cognoscendi & judicandi habet potestatem, hinc etiam Laicis à Judicæ Ecclesiastico super delicto ad forum spirituale pertinente imponi potest. *Cap. nos inter. 6. de purgat. Can.* indicitur autem purgatio Canonica vel ad instantiam purgandi, qui quia de crimine aliquo malevolè infamatus, ultro se offert, & petit, ut sese purgare, sicque suam innocentiam demonstrare, sibi permittatur. *Cap. cum in juventute. 12. de purgat. Can.* vel ex officio Judicis personæ de gravi noxâ diffamatae imponitur, dummodo, fide digna, nec

suspicio sit, quod sit pejeratura. *Cap. 1. de purgat. Can.*

Quæres 3tio: Quid ad Canonicam requiritur purgationem?

R. 1mo: Ut purgandus apud bonos & graves viros de crimine publicè sit diffamatus. *Cap. cum dilectis. 15. eod. tit. & talis debet esse infamiae clamor, ut non à malevolis & maledicis, sed à providis & honestis adeo ascendat, ut diutius sine scandalo dissimulari, vel sine periculo tolerari non possit. Cap. qualiter & quando. 24. de accusat. vel ad minus suspicio aut gravis de admisso scelere præsumptio existat, Cap. si quis. 4. de purgat. Can.* 2do. Requiritur, ut crimen, de quo infamia circumfertur, notorium aut manifestum non sit, nec per accusatores aut testes probari valeat. *Cap. nos inter. 6. eod.* Si enim crimen usque adeo publicum fuerit & notorium, ut nullus infamiationi sit locus, utpote cujus universæ viciniae populus testis est, reo non purgatio Canonica indicenda, sed in eum condemnationis sententia est promulganda. *Cit. cap. cum dilectis.*

Quæres quarto: Quæ forma purgationis Canonicae?

R. Purgatio Canonica hæc fieri debet formâ. 1mo. Infamatus vel suspectus tactis sacris Evangelis jurat se crimen objectum non perpetrâsse. *Cap. quoties. 5. de purgat. Can.* nec sufficit, quod sese à crimine immunem juramento interveniente asserat, sed positivè jurandum, quod v. g. post suam promotionem tale crimen non admisserit, nec etiam requiritur, ut Clericus

de incontinentia diffamatus juret, quod à nativitate sua nunquam passus fuerit lapsum carnis. *Cap. fin. eod. tit. Secundo.* Purgandus Compurgatores plures, vel pauciores secundum Judicis arbitrium, spectatâ qualitate personæ purgandæ, & gravitate criminis vel infamiæ, offerre debet. *Cap. inter sollicitudines. 10. cap. cum. in juventute. 12. de purgat. Can.*

Quæres quinto; Quæ compurgatorum qualitates & obligatio?

R. 1^{mo}. Compurgatores debent esse ingenui. *Can. nobilis. 15. caus. 2. q. 4. boni ac vicini. Can. omnibus 19. cit. caus. 9.* Purgatores illius honestatis & opinionis sint, quod verosimile sit, eos nolle amore vel odio, seu obtentu pecuniæ pejerare, & ut idonei appareant, necesse est, ut ejus, quem purgare debent, vitam & conversationem agnoscant. *Cap. cum manconella. 7. de purgat. Can.* Purgatores ab Ecclesia tolerati, bonæ famæ, in suis Ordinibus ministrantes, nec in Judicio pro crimine condemnati esse debent. *Cap. constitutus. 19. eod.*

2^{do}. Compurgatores oblatos, Juramentum non quidem de veritate, sed de credulitate deponere oportet, quod videlicet credant veritatem eum dicere, qui purgatur, nec eum, quod objicitur, crimen admisisse. *Can. quoties. 17. caus. 2. q. 4. cap. de testibus. 13. de purgat. Can.*

Quæres sexto; Qualiter purgatio Canonica in crimine hæreseos instituenda?

R. Formam hujus exprimit, *Cap. in-*

ter sollicitudines. 10. de purg. Can. quando vulgata infamia, grave scandalum & vehemens suspicio ex testium dictis suboritur, quod Clericus in hæresin fuerit dilapsus, Judex Ecclesiasticus, licet contra eum nullus accusator legitimus appareat, ex officio, famâ publicâ deferente, plenius potest inquirere veritatem, & sic diffamatum non tantum ab officio, sed etiam à beneficio propter immanitatem criminis justè suspendit, eique purgationem Canonicam, ibi faciendam, ubi noscitur infamatus, imponit. Compurgatores autem, sive illi, qui ad ejus purgationem processerint comprobendam, sint fide Catholici & vitâ probati, qui vitam & conversationem purgandi non tam moderno tempore noverint quam transacto. Purgatione rei receptâ beneficium illi statim restituitur, si autem familiaritatem cum hæreticis habuerit, in pœnam ipsius ab officio manet suspensus, donec scandalum sopiatur, ita tamen, ut familiaritatem Hæreticorum abjuret. Insuper in locis infamiæ debet profiteri & prædicare fidem Catholicam, ac confundere & detestari hæreticam pravitatem, sic deinceps vitam suam bonis adornans moribus, ut infamia convertatur in bonam famam, & omne scandalum & suspicio de Catholicorum mentibus deleatur. Quod si in purgatione deficiat, nominatim excommunicatur, & ab officio & beneficio depositus ad agendam pœnitentiam, in arctum detruditur Monasterium.

Quæres septimo; Quis purgationis Canonice finis?

R. Quia,

R. Quia, ut dicitur in *Cap. qualiter & quando. 24. de accusat.* Clerici in officiis positi & præsertim Prælati, qui quasi signum positi sunt ad sagittam, omnibus complacere non possunt, cum ex officio suo teneantur non solum arguere sed etiam increpare, frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur, & ideo S.S. Patres & Canonum statuerunt Decreta, ut non facile accusatio contra hujusmodi admittatur. Verum ita voluerunt providere Prælati, ne criminarentur injustè, ut tamen caverent, ne delinquerent insolenter. Cum igitur non raro fieri soleat, quod Ecclesiastici Viri diffamantur innocenter, & quidem tanto magis, quanto diligentiori curâ & majori districtione suæ incumbunt vocationi, salubriter provisum est, ut, si forte fama de eis mala feratur, coram suo Judice purgationem facerent Canonicam, quâ pusillorum sublatis scandalis, diffamatorum consuleretur innocentia, & nocentium, si in purgatione sui deficerent, absque dissimulatione punirentur delicta, & communis omnibus Ecclesia ab omni purgaretur infamia.

Quæres octavo: Quis purgationis Canonicæ effectus?

R. Purgatione legitimè factâ purgatus liberatur ab infamia, declaratur innocens ac boni testimonii, & in pristinum statum restituitur, ideoque à suspensione absolvitur, si propter gravitatem infamiae, donec se purgaret, suspensus fuerit, *Cap. si quis. 2. cap. inter sollicitudines. 10. de purgat.*

Can. si in purgatione defecerit, habetur pro convicto. *Cap. de hoc autem. 11. cap. insinuatum. 13. de Simon.*

Quæres nono: An purgatus super eodem crimine accusari possit?

R. Negative: Nisi accusator suam, suorumque prosequatur injuriam, vel emergant nova commissi delicti indicia, vel nova superveniat infamia, aut accusator probet, quod purgatus pejeraverit.

Quæres decimo: Quid est vulgaris purgatio?

R. Est demonstratio innocentia ex quasi usurpatione & observatione superstitiosa vulgi introductâ & à sacris Canonibus reprobata.

Quæres undecimo: Quot sunt purgationis vulgaris species?

R. Sequentes. 1mo. Per Monomachiam, sive duellum, quod accusatus cum accusatore inibat, in quo, qui occumbebat nocens, & qui vincebat, innocens habebatur. 2do. Per aquam frigidam, quando suspecti de magiâ, colligatis manibus & pedibus, in aquam dejiciuntur, ut, si supernatent, nocentes existant. 3tio. Per ferrum candens. 4to. Per attractum cadaveris, si nempe in præsentia de homicidio suspecti, cadaver sanguinem emittat, illud commissi homicidii signum esse volunt. 5to. Antiquitus fiebat purgatio per sumptionem Eucharistia, sub communionem dicendo: Corpus Domini sit mihi hodie ad probationem.

Quæres duodecimo: An purgatio vulgaris licita sit vel unquam fuerit?

R. Gloss.

Bl. Gloss. in cap. 1. de purgat. vulg. verb. aliquatenus tolerare, inquit, fabricante diabolo facta est vulgaris purgatio, ideo ab Ecclesia semper est rejecta & damnata fuit; imo quidem Monomachia. (an. Monomachiam. 22. caus. 2. quest. 4. cap. 1. & 2. de purgat. vulg. quia per hanc DEUS tentatur, qui nunquam pollicitus est se duello innocentiam patefacturum, & innocens ob defectum virium, artis aut dexteritatis facile succumbet. 2do. Immissio in aquam ferventem aut frigidam Apostolicâ autoritate prohibetur le- verissimè per Can. Mennam. 7. & Can. consulisti. 20. caus. 2. q. 4. 3tio. Contractus ferri candentis per cit. Can. Mennam. & Can. consulisti. rejectus est & interdictus, ubi hæc & alia popularis inventionis argumenta fabricante invidiâ ficta esse dicuntur. Judicium quoque ferri candentis, utpote quo DEUS tentari videtur, reprobatur. Cap. dilecti. 3. de purgat. vulg. cum enim ferrum candens juxta vim naturalem tangentes adurat, intenditur, ut DEUS

vim naturalem per miraculum impediatur, in quo est manifesta divini Numinis tentatio. 4to. Cruentatio cadaveris occisi non caret superstitioso abusu, cum quandoque etiam in præsentia innocentissimi sanguinem ex cadavere occisi fluxisse docente compertum sit experientâ. 5to. Probatio per summptionem Eucharistiæ de qua in Can. sepe 23. caus. 2. q. 4. ob periculum irreverentiæ merito hodie in disfluetudinem abiit, quamvis alias licitus fuisse probabilis sit, sicut enim in Juramento purgatorio licitè DEUS in innocentiam testem invocatur, ita etiam CHRISTUS in Eucharistia præfens sine peccato in probationem sive innocentiam testimonium invocari potuit. Quia igitur reprobata purgatio non facit fidem, ille qui se vulgari aquæ frigidæ aut ferri candentis Judicio purgavit, per aliam Canonicam purgationem innocentiam suam ostendere præcipitur in Cap. tuarum. 8. de purgat. Can. junctâ Gloss. verb. non putantes.

Finis Libri quarti.



IN.